Antonij Poli Veneti Lucidarium Pote-ſtatis Papalis.

Septem Libros complectens.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Priuilegio.



VENETIIS, Apud Simonem Galignanum de Karera.
M. D. LXXVI.

Ad Gregorium XIII.

Pontificem Romanum
& ſucceſſores.

Antonius Polus Venetus.

POtentis ſapientiſq́; hominis ſẽper fuit Sanctiſsime Pater, uiros ingenio, doctrinaque excellentes cognoſcere, curam cogitationemq́; in charitatis officio, uirtutiſque gloria ponere, & tandem præmium excogitare, quo uirtuti, magniſq́; meritis, ſatisfieri aliqua ex parte poſsit. Quid magis Regium, magiſq́; magnificum, quàm uirtuti debitum dare teſtimonium, & titulis honeſtare dignitatem, familiaſq́; honoribus debitis, cum antecellunt merita, illuſtres reddere; ut hoc modo complures in ſtudium uirtutis acrius incitentur? Cũ tu abſq; dubio ſis Pater gentium, orbiſq́; Princeps, atq; alter in terris Deus, ueluti bonis ſpiritualibus largitor, non ſolum grata uoluntate munificentia tua miſeros homines inopia, & egeſtate leuare potes, ue-

rum etiam uiros præſtantes, egregioſque uirtutis amore inflammatos, gloria coronare; & iis ampliſsimis honoribus ornatos reddere, quos Magni Imperatores, & Reges haud concedere queunt, neque auctoritate poſſunt. Hoc uerè Pontificium munus eſt, magnitudiniq́ue tuæ conueniens. Solo igitur maieſtatis tuæ lumine doctiſsimorum uirorum familiæ illuſtrantur; hominum mentes luce ſola ſapientiæ tuæ illuminantur, poſtremoq́ue ſolo charitatis tuæ ſplendore adeo bonorum ſpiritus concitantur, ut illius gratia, & non inuiti, res difficillimas, præclaras, atque diuinas aggrediantur. Iſti gloriæ magnificentia, ſuarumq́ue uirtutum laude delectati, laboribus, uigiliisq́ue rebus humanis lucem aliquam ſemper attulere: Multi ab hac inuitati, ut patriæ conſulerent, uitæ non pepercerunt; proq́ue Religionis ſanctitate magna contentione dimicarunt. Alii per hanc, Petri nauiculam aduerſis tempeſtatibus, procellisq́ue agitatam in portum incolumen detulerunt, diſcordiarum ſeminaria extirparunt, Herculemq́ue imitantes bellum contra monſtra omnia ſuſceperunt. Pro hac denique infiniti ſunt contra hoſtes arma potentiſsima, contra potentes mœnia inexpugnabilia, contraq́ue Eccleſiæ Romanæ perturbatores gladii acutiſsimi. Cum excellentia, præſtantia, Diuinitasq́ue Pontificii nominis amoris uirtutem exprimat, liberalitatemq́ue declaret, te ad homines iuuandos, uirosq́ue præclariſsimos omni dignitate decorandos exſuſcitat atque impellit. Quòd dignitate gloriaq́ue florere debeam, opus meum perlegens eius lectione ſcriptoribus omnibus magnitudine ordinis, perfectioneq́ue doctrinæ antecellere explorate cognoſces. Quid plura? Cum opus fuerit, tibiq́ue pergratum:

tum: ut Antiquorum recentiorumque latebras inſpiciam, & ad communem omnium utilitatem, Sanctęque Romanæ Eccleſiæ amplitudinem de altiſsimis, profundiſsimisque Philoſophiæ, Theologiæque myſteriis pertractem, confeſtim ſermonem inſtituam, & ueram cuiuslibet rei rationem aperiam; cum mihi facillimum ſit, lumine diuino adiutus, mirabili ordine, perfectaque definitione breuiter, & dilucidè uniuſcuiuſque Artis, uel Scientiæ uim rationemque non annorum, ſed menſium ſpatio explicare. Si multi uirtute minus præſtantes, mediocri doctrina culti, & edocti, honorem maximum hac de cauſa aſſequuti ſunt; cur igitur ego (non dicam admirabili dicendi facultate præditus) ſed ingenio ſtudioque pręcellentior, intellectu acutior, magnarumque Artium diſciplinis eruditus, ueneratione quadam, inſignique beneuolentia dignus non iudicabor? Cur ingentes labores mei, diuturnæ uigiliæ, aſsidua ſtudia, & exaſpera itinera? cur frigoris, calorisque paſsio? cur famis, ſitisque tollerantia? & cur ſumptus infiniti, quos, ut aliquid ſcirem, conſumpſi, non mihi gloriam aliquam comparabunt? Cur denique ad culmen honoris elatus, & pro uirtutis ratione non remuneratus fuero? Admirabuntur ſimulatores, imperiti, & inuidi quod ita ardenter gloriam expetem, & laudis me anxium nimis ſollicitumque cenſebunt. Quibus reſpondemus, quod ueteri prouerbio admonemur, ut ad rerum faſtigia nitamur, ſi media tenere cupimus; ideò cum omnes ad decus, honeſtatem, gloriamque fruendam nati ſimus, non ii, qui ad maximos honores ſuſcipiendos conatum adhibent, in crimen audaciæ, aut ſuperbię ſunt uocandi, immò potius

tius, qui id non tentant, ignauiæ, atque deſidiæ ſunt ſummopere reprehendendi. Ille igitur inter homines ſapiens, prudensque exiſtimatur, cui inſidet cura quædam propriæ dignitatis. Nonnè ſtultus ille, quæſo, qui contra rationem bonum non appetit? nonnè inſcius etiam, qui perfectioni ſuæ cedit? Quemadmodum enim fœdum, flagitioſumque eſt gloriam ſine uirtute quærere, & conſectari; ita dignum non dolo, non fallaciis, ſed propria uirtute opes, honores, ſummasque dignitates amplecti, atque deſiderare: & quemadmodum præpotenti Deo omnium bonorum Auctore ſpe beatitudinis æternę inflammati ſtudio ardentiſsimo parere, ſeruireque ſtudemus; ſic etiam huius mundi dulcedine, iucunditateque deliniti, omnes labores ſuſtinemus, & omnem curam, cogitationemque ad communem utilitatem conferimus: & denique quemadmodum illam à Chriſto nobis enuntiatam, atque promiſſam poſt mortem conſequimur, ita hanc a potentibus uiris in hac uita meritò adipiſci debemus. Quamuis enim clara in patria natus, educatusque ſim; optimisque parentibus procreatus, diuitiis mediocriter affluens, cum tamen ex ciuium, & non nobilium (ut dicitur) familia ſim fortuna ortus, nullam inde laudem gloriamque expetere poſſum. Nil poſtea tam magnum, glorioſumque in hac nobilitate, quæ in ſuis ſedibus, & a ſeipſis nuncupatur reperiri mihi uidetur, quin nomen meum ſplendore uirtutis illuſtratum inter multos excellere non poſsit, ſitque longè multoque præſtantius. Tu ſolus igitur cui datum eſt Poſſe, Sapere, & Velle ſingulari clementia tua poteris, ſi uis, me ad ſummum dignitatis faſtigium ſapienter efferre. Ideò flexis genibus, demiſſo capite, & humilitate

litate qua debeo tuos ſacros pedes deoſculans me tibi Chriſti Vicario, Petri ſucceſſori, ſummoque Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Antiſtiti ſubmitto, atque comendo. Venetiis ex Diui Marci platea, atque nouæ Procuratiæ ædibus propria antiquaque Domo propè Diui Geminiani Templum iii. no. Decemb. M. D. L X X V.

QVAE IN HOC VOLVMINE continentur.

Liber Primus.
De eſſe Poteſtatis Papalis.

Liber Secundus.
De diffinitione Poteſtatis Papalis & diſſolutione eiuſdem in ſuas cauſas, & primò De Auctoritate Papali abſoluta uniuerſali, quę eſt cauſa Materialis.

Liber Tertius.
De Auctoritate Spirituali, quæ eſt forma Poteſtatis Papalis.

Liber Quartus.
De cauſa efficiente, atque de ſubiecto Poteſtatis Papalis, quæ ſunt Chriſtus & Petrus.

Liber Quintus.
De Corrollariis ſubiecti Papalis, quę ſunt, Pontificatus ſucceſsio poſt Petrum in Ro. Pontifices, & eorum dignitas, atque ſupra omnia Concilia ſuperioritas abſoluta.

Liber Sextus.
De Cauſa Finali Poteſtatis Papalis, quę eſt, Paſcere oues ſuas.

Liber Septimus.
De Mirabili fructu definitionis iam explicatę omnes aduerſariorum errores manifeſtante.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De eſſe Poteſtatis Papalis.
Liber Primus.

NVllus perfectæ doctrinæ alicuius rei eſſentiam explicabit, ſi prius dubium de illius eſſe non remouerit: ideo, ne uideamur confuſi, diminuti, ſiue ſuperflui, recto ordine procedentes, De ſi eſt Poteſtatis Papalis prius ſermonem faciemus, antequàm eius naturam manifeſtamus. Sciunt enim intelligentes (ſicut diximus in Tractatu de origine ueræ atque falſæ Religionis) quòd homo in omnium inueſtigatione atque declaratione, tribus tantum uti poteſt uiis, uel ſenſu, uel ratione, uel intellectu ſiue ſimplici intelligentia; non enim plures modos declarandi quamcunque rem habemus. Satis igitur erit atque magnum quid, ſi ſimilitudinibus ſenſatis, rationibus demonſtrabilibus, & grauiſsimorum hominum authoritatibus (quantum huic materiæ conueniet) intentum noſtrum corroborabimus. Si exemplis & ſimilitudinibus utemur, ſenſui ſatisfaciemus: Si omni genere argumentorum procedimus, rationem ſequemur; & ſi denique authoritatem ſacrarum literarum, conciliorum, & ſacrorum patrum in medium adduxerimus, intellectus lumine fidei ſuffultus, eiſdem credens acquieſcet. Quoniam ſicut ratione

ex propria cauſa intellecta aliquid ultra non quærit, ita & intellectus ipſe, habita ſcripturarum uel conciliorum authoritate, abſque diſcurſu altiora quodammodo intuetur, & quieſcit quoniam fides ei ſufficit, & ſic illuminatus à Spiritu ſancto intelligit omnia ſecundum ueritatem, & intelligendo ipſa ſine diſcurſu & aliqua naturali ratione uel probatione ſcribit, ideo de ſcriptis ſcripturæ, conciliorum, & ſanctorum patrum auctoritatibus non debemus inquirere rationem, cum fundatæ ſint in intellectu mediante fide catholica: cumq; ſint etiam ſcripturæ ſacræ fidelibus tanquam dignitates famoſæ quæ non probantur, ſed pro certis ab eiſdem tenentur & creduntur ſi per ianuam ſummæ ueritatis ingredi uelint. Quæ à Numine diuino, à Spiritu ſancto, & à Deo omnium cauſa ueniunt ut ab ipſo procedunt, non poſſunt ſimpliciter per cauſam particularem probari, ideò ſimpliciter creduntur. Nonne omnes fatentur ſcripturam diuinam diuino numine inuentam eſſe, nec non & uera concilia congregata in nomine Spiritus ſancti? & ſcripta ſanctorum ſcripta Spiritus ſancti ſuo & ordine & modo? Quare igitur intellectus noſter ipſis non debet acquieſcere? quare ipſa certiora quàm ea quæ per rationem & ſenſum habentur non tenebimus? Cum ſint per uiam quæ ſupra ſenſum, & rationem comprobata atque ſcripta? Quiſque igitur his acquieſcere debet, niſi ſenſu debilitatus ſit, ratione infirmatus, & intellectu obſcuratus.

Incipientes igitur propoſitum noſtrum, dicimus quòd perfectio uniuerſi in ordine conſiſtit, & ſine ordine nihil pulchrum eſſe reperitur, & ipſum ordinem non ſolum in rebus publicis pręclare inſtitutis comprehendimus, uerũ etiã Deus Optimus Maximus in mundi conſtitutione ordinem admirabilem expreſsit, quippe qui, cunctis rebus maiorem uel minorem nobilitatem perfectiorem conuenientemque locum deputauit. Terra namque cò quia ſuapte natura ponderoſior eſt, & quoad officium infimum nobilitatis gradum habet, infimum etiam locum ſibi uendicat. Aqua uerò quia

terra

terra eſt nobilior, eſt. n. ipſa acutior, ſubtilior & nobilior, ideò ſuper terram locum poſsidet. & eadem ratione quoniam aer aqua nobilior ſuper aquam locum habuit. Ignis uerò eodem pacto omnium elemētorum nobiliſsimus, eminentiorem ſphæram ac locum tenet. & eodem ordine ſuper ſphæram ignis conditum eſt cœlum Lunæ, ſuper Lunam Mercurius, Venus ſuper Mercurium, ſuper Venerem Sol, & ſuper Solem Mars, ſuper Martem Iouis orbis girat. Sed Saturnus planetarum quoquo pacto præſtantiſsimus, planetis omnibus ſuprafertur, ſuperquo uoluit ſtellarum fixarum cœlum, quod Firmamentum dicitur, & ſuper firmamentum eſt cœlum chriſtallinum, & demum eminentiſsimum corporum locum obtinet cœlum Empyreum. Sed ad ſupramundana tranſcendamus, humiliorem locum obtinent Angeli, quibus præſunt Archangeli, inde ab inferioribus ad ſuperiores procedentes, comperiemus principes ſeu Principatus, & in aliis ordinibus perfectioribus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes; itidem & Trhonos, Cherubinos, ac Seraphinos, ſed has hierarchias omnes tranſcendit Virgo benedicta Dei Parens, nonnè aſtitit Regina à dextris tuis? Sed propinquorum ſedem apud Deum obtinet Chriſti humanitas quæ ſuper omnes creaturas eſt longè eminentiſsima, iuxta illud Simboli, Sedet ad dexteram Patris. His autē omnibus prçeſt ineffabilis Trinitas, atque incomprehenſibilis Dei unitas, cuius bonitas replet, reficit, ac beat omnia. Conſpicuum igitur eſt ea nullo pacto carere ordine quç à Deo effecta ſunt, & procedunt. Ita in Republica chriſtiana neceſſarium erat dari ordinem unum, ut qui ad ſupremum magiſtratū ſuper alios aſſumptus, diceretur eſſe princeps, maior, & caput aliorum, nam omnis multitudo ordinata, habet unum à quo dirigitur. Cum ordo in multitudine nihil aliud ſit, quàm parium & imparium, ſuperiorum, & inferiorum ſecundum propria loca optima diſpoſitio, atque diſtributio. Cum igitur in omni multitudine deueniendum ſit ad unum quod primum ſit, & ſupremum in illo

ordine, ideò in eccleſia Chriſti eſt multitudo fidelium ordinata quidem, & cum Chriſtus ſit Rector eccleſiæ & gubernator ſapientiſsimus non relinquit confuſionem, ſed omnia diſponit ſuauiter, quem quidem ordinem à Chriſto uelut à directore optimo inſtitutum habemus, qui aſcendens in cœlum ſpiritum miſit, qui omnem docuit ueritatem, ut in eccleſia abſque Dei conſilio non daretur unum primum ſcilicet Supremus ſacerdos, & ſic ordinatam & multiſariã gubernationem quam dedit Chriſtus in terris uoluit præcipue propter congruitatem, ut ab uno ſolo inter miniſtros ordinaretur, & quòd unus ſolus iſtius multitudinis eſſet caput, & Princeps. Præterea cum omnia, ut dixi, indigeant ordine, & à Deo omnia ordinata ſint, quoniam lex diuinitatis natura eſt ut infima in ſuprema per media reducantur, ſubſequitur ut ordo ſit in uniuerſo Temporalem gladium quodammodo ad ſpiritualem tanquam potiſsimum reduci, & ſic omnis poteſtas ad unam pontificiam poteſtatem, ne inordinatè plura ponantur capita. Sicut enim in uniuerſali rerum regimine quod corporeum eſt, ſpiritui ſubſiſtere debet, ſic in Regimine hominum Temporales domini, ſpiritualibus ſubeſſe debent, & omnes uno pontifici Vicario Chriſti in ordine ad ſpiritualia, ut in omnibus ipſe dominetur hoc modo. Nam Papa per ſuam poteſtatem potiſsimum ſpiritualem poteſt utroque uti gladio, priuando, deponendo, occidendo, quoties & fides & religio id poſtulauerit. Præterea, lex generalis hierarchiæ eſt, ut inferiores per ſuos ſuperiores ſurſum cogantur aſcendere ad diuinos ſplendores ſibi illuceſcentes. Rectè igitur Deus noui teſtamenti alios & alios idoneos miniſtros inſtituit ad diuinum lumen hauriendum. Præterea in omni eccleſia requiritur unus epiſcopus qui ſit totius populi Caput, ergo etiam in toto populo chriſtiano unum caput ad omnia gubernanda & ad regendum maxime & conuocandum concilium. Præterea in naturalibus uidemus quòd anima fungitur operationibus ſuis in toto corpore, ſed principaliter in capite quoniam ibi

omnes

omnes ſenſus uigent, ibi memoria,ibi imaginatiua,ibi uoluntas, ibi intellectus, & caput præcipit partibus corporis, & totum corpus capiti obedit, ita Chriſtus tribuit religionem in tota fidelium congregatione tanquam in toto corpore,ſed principaliter in uno tanquam in capite, quoniam ibi omnes leges religionum ſitæ ſunt, & omnes gratiarum plenitudines pariter uigent, & tale caput præcipit fidelibus tanquam partibus corporis, & tota congregatio tanquam totum corpus capiti obedit, ergo datur hæc ſumma poteſtas, quia ſi datum fuit unum Caput, ergo plenum poteſtate & authoritate. Præterea ſicut Palmites ſumunt uigorem à uite, ſic prælati ſummere debent authoritatem à Papa,qui uicē Chriſti gerit in terris. Non nè inter aſtra eſt unus Sol, à quo terra & cuncta terrena tanquam ab uniuerſali cauſa oriuntur & dependent? ita & aliæ poteſtates à pontificia poteſtate prout ſupra declarauimus. Non nè Luna humidis confert ac ſupereminet? cœleſtia terrenis? Angeli hominibus? Animæ corporibus? cur non omnibus authoritatibus pontificia authoritas modo ſuo? & denique nonnè in inferno unus eſt Princeps dęmoniorum Beelzebub? Si igitur in omnibus iſtis datur unum dominium, unus princeps, & unum caput, non nè rationi conueniens eſt,ut etiam in terris ſit unus princeps qui curam habeat de animabus hominum pro quibus facta ſunt omnia, pro quibus,inquam,Chriſtus naſci uoluit & crucifigi, qui quidem Papa eſt Miniſter Chriſti, & Petri ſucceſſor,ergo datur unus qui habet talem authoritatem,ergo datur hæc poteſtas in terris. Cum igitur lex naturæ, Lex rerum ciuilium requirant unum principium,quare in legibus dignioribus & excellentioribus non dabitur unum caput, unus Princeps, & una Poteſtas? Clamat Natura. Vociferantur leges, indicant animalia in unaquaque re dari unum primum. In Apibus eſt Rex unus, in Gruibus unam ſequuntur, Dux unus in gregibus,in Armentis Rector unus, & omnia denique quæ habent eſſe, uel uiuere, uel ſentire, uel intelligere unitatem uenerantur. Non nè uo-

nè uolatilia Aquilam, & quadrupedia Leonem rugientem habent in Regem? Animalia autem capita habentia plurima, monſtra dicuntur, qui uerò unum, animal rectè appellatur. Nonne flores Lilium? Nonnè inter Gemmas carbunculum? inter Metalla Aurum? At in Mari quis cœtum Regem piſcium non eſſe protulerit? ſed in fluminibus Parcam uel magis Truttam quis non putauerit? In Arboribus multi ramorum ordines ſunt, ſed ii omnes ab unitate radicis proficiſcuntur. Præterea, inter membra corporis unum eſt principium à quo reliqua reguntur ſiue id ſit caput, ſiue ut alii cor. Vnum eſt elementum uincens & penetrans omnia ignis. Nonne ab uno Adamo producti, nonne ab illo mortui, & nonne ab uno Ieſu Chriſto regenerati? Cum igitur in tot & tantis rebus & in omnibus talis unitas ſplendeat, neceſſarium eſt quòd ab una Poteſtate ſpirituali gubernari debemus ut diſpoſiti eſſe poſsimus ad ſalutem. Præterea, omnes fatebuntur quòd pietas neceſſaria eſt in mundo, ſi igitur eſt neceſſaria, cui nam magis conuenit, Regi ſæculari, uel ſpirituali? non eſt dubium quòd ſpirituali, quia mitior eſſe debet; ergo unus princeps ſpiritualis eſſe debet, quoniam unitatem Antiqui pietatem appellauere: ergo ratione pietatis datur iſta authoritas. Hoc idem rationibus efficaciſsimis authoritate corroboratis firmare poſſumus: dicò enim quòd in eccleſia Dei non debet eſſe minor unitas, & minor poteſtas, quàm aliàs fuerit in ſynagoga Iudęorũ, quinimmò & maior requiri debet, cum ſacerdotium Euangelicum longè excellentius ſit ſacerdotio legis Moyſi. Sed in ſynagoga hæbreorum non ſolum reperiuntur fuere plures principes ſacerdotum diuiſi per familias, ſed ſemper extitit unus ſummus Pontifex princeps principum, qui præerat omnibus ſacerdotibus qui tanquam princeps cuſtodiebat omnes cuſtodias ſacramentorum, & qui non obediebat ſummo ſacerdoti ex decreto Dei reus mortis efficiebatur, ergo multomagis in eccleſia Dei uniuerſali unus ſummus Põtifex qui habeat omnem authoritatem reperiri debet cui

omnes

omnes tanquam inferiores obediunt. Nonne fuerunt Pontifices ſynagogæ Aaron, Eleazar, Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi, Heli, Achitob, Achimelech, Abiathar, Sadoch, Achimaas, Arias, Ioiada, Azarias, Amarias, Sadoch, Sellum, Elchias, Aſarias, Zaraias, Ioſedech, Ioſue, Ioachim, Elezaphath, Ioiade ſeu Iudas, Ioannes, Iadus, Onias, Simon iuſtus, Eleazarus; Simon, Onias Magnus, Onias Pius, Mathathias, Iudas Machabæus, Ionathas, Ioannes Hircanus, Ariſtobolus Rex & ſacerdos, Alexander Velamirus, Hircanus, Antigonus, Anans, Iſmael, & Cayphas. Si ergo in ſynagoga fuerunt tot atque tanti pontifices, & ad eos omnes recurrebant, & eis omnes obediebant, quare in eccleſia ſancta Dei non dabitur unus Princeps cui ſoli ſit obediendum? Quare dixit Salomon Can. 6. Vna eſt columba mea, una eſt perfecta mea, una eſt matri ſuæ electæ genitrici ſuæ, niſi ut figuraret hanc poteſtatem eccleſiæ in pontifice poſitam. Quare Apoſtolus dicit ad Eph. 4. Vnum corpus & unus ſpiritus ſic uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtrę: unus dominus, una fides, & unum baptiſma: unus Deus & Pater omnium qui eſt ſuper omnes, niſi ut oſtenderet poteſtatis unitatem? Nonne datur in familia Pater, in ciuitate Princeps, in Prouinciis Rex? Quare igitur non in ſpiritualibus? Quid dicũt leges de tali poteſtate? Nonne leges habent quod qui dubitat dari hanc poteſtatem, dubitat de fide catholica, & tanquàm ſacrilegus eſt cenſendus, & inſtar ſacrilegii eſt diſputare de Poteſtate Papæ. Quid quæſo ſignificat illa figura de Iacob, qui ueniens ut obediret patri ſuo ſcalam uidit, & quę ſequuntur, omnia hæc ad Authoritatem pontificiam, & ſummum Pontificem conferenda ſunt totius ordinis eccleſiæ ſanctæ Ducem. Scala quippè in qua multos gradus uiderat ordinem eccleſiæ oſtendit; in qua ſunt gradus ſuperiorum & inferiorum, Angeli eccleſiæ doctores, & prædicatores ſignificant qui deſcendunt ad reos, & aſcendunt ad iuſtos. Dominus innixus ſcalæ Spiritus ſanctus eſt, regens & roborans eccleſiaſticum ordinem, oleum Deuotio, Petra fides eccle-

ſiæ qua

ſiæ qua Iacob ſuppoſuit ad caput ſuum, quare una ſcala cum ſit una petra, unus dominus ſcalæ innixus, unum quoque caput ſit cui petra, ideſt eccleſiæ fides ſupponitur, quia obedientia eius poteſtate & reuerentia capiti ipſo . i. ſummo Pontifici eſt exhibenda, necnon & tenere ac obſeruare debemus omnia eius præcepta, apoſtolicam fidem & catholicam doctrinam eccleſiæ, quæ eſt domus Dei & porta cœli aduerſus quam portæ inferi, ideſt doctrina hæreticorum lutheranorum non præualebunt. Quid ſignificat quæſo Ezechielem inſtitutum fuiſſe à Deo ſuper domum Iſrael, niſi figuram pontificiæ poteſtatis, quæ fuit inſtituta à Chriſto? Si clamant omnes hiſtoriæ quòd in temporalibus debemus cognoſcere unum Principem, & illi tanquam primæ poteſtati obedire, fortiori argumento in ſpiritualibus debemus cognoſcere unum Principem & unum caput, illiq; obedire. Philoſophi nonne demonſtratione certa oſtendunt unitatem principatuum? Quare Deus præcepit, ut facerent ueſtem ſanctam Aaron tot & tantis magiſteriis, tot & tantis ornamentis, auro, hyacinto, purpura, coccino, byſſo, & aliis contexturis? quare iuſsit poni in mitra ſummi ſacerdotis coronam, ſimplices ſacerdotes unam tantum mitram habebant quæ erat de byſſo, ſed ſummus ſacerdos ſuper mytram de byſſo habebat mytram hyacinthinam; niſi ut oſtenderet neceſſarium dari unam primam poteſtatem, atque iuriſdictionem ſummi Pontificis? Hoc idem in ueteri lege quoque conſpicitur. Quare Abraham dedit decimas Melchiſedech ſacerdoti, & quare primogeniti faciebant officia ſacerdotum uſque ad inſtitutionem ſacerdotii Aaron, & filiorum eius, niſi ut oſtenderet iuriſdictionem quam debet habere ſummus Pontifex? Nonne Aaron ſummus ſacerdos formam gerebat Epiſcoporum, & filii eius ſacerdotes præsbyterorum: ex quibus lepidè habetur quòd in lege ueteri fuit ſummum ſacerdotium, & minores ſacerdotes, & omnes gradus denique ſacerdotum in tali lege figurati fuerunt. Nonne Gentiles etiam ipſi ſuos Flamines. i. ſacerdo-

ſacerdotes, quoſdam ſimplices Flamines, alios archiflamines, alios prothoflamines nominabant,& in aliquibus conſtituebant ciuitatibus flamines, in aliquibus Archiflamines. Nonne Aegyptii faciebant regem ſuum, qui tres habebat cõditiones,quod eſſet ſummus, ſcilicet philoſophus, ſummus Rex,& denique ſummus ſacerdos, & ideo appellabant ipſum Termaximum. Nonne Heli fuit iudex, & ſummus ſacerdos populi? Tanta enim apud ueteres fuit eminentia,& dignitas ſummi ſacerdotis ſuper alios, ut ſolus ipſe ex Dei mandato ingrederetur Sancta Sanctorum. Quare Deus per Moyſem ordinat, quod in dubiis, & difficillimis cauſis recurrendum ſit ad ſupremum iudicem, uel ſummum ſacerdotem? niſi ut figuraret authoritatem hanc maximam eſſe. Quare legimus de leproſis, ubi iubet ipſe Chriſtus, ut oſtendantur ſe ſacerdotibus, niſi ut manifeſtetur hæc poteſtas? Præterea in ſynagoga, quæ fuit vmbra duntaxat eccleſiæ præfuit vnus, qui & Princeps ſacerdotum dicebatur, ſub quo multi gradus, & ordines fuerunt, ſic & eccleſia triumphans, cui uelut exemplari noſtra militaris reſpondet, vnum habet præſidem Deum, quomodo igitur eccleſia, quæ media eſt inter vmbram, & exemplar ex vna quidem parte reſpiciens vmbram, ex altera verò ſpectans exemplar carere poteſt vnitate præſidis? Præterea quoties lites emergunt de rebus fidei, & quoties incidit de ſcripturarum ſenſu controuerſia, neceſſe eſt, vt aliquem ſupremum iudicem habeamus, cuius iudicio ſtabitur. Item cum plerumque neceſsitas vrgeat, ut Generalia concilia celebrentur, per quendam ceu Principem (cuius mandato cæteri parituri ſunt) conuocari facilius poterit epiſcoporum Synodus; nam alioqui fortaſsis accerſiti nequaquam accederent. Item propter contumaces reprimendos, & maximè cum inter ſe diſſentiant Epiſcopi, neceſſaria eſt Capitis vnitas, quæ ſtudeat eos ad concordiam reducere, ne fautoribus hinc inde multiplicatis, puſilla principio his in pernicioſum tandem ſchiſma prorumpat.

Præterea apud hæbreos, Græcos, & omnes nationes ſemper dignitas Pontificatus fuit, & exaltata ab omnibus, nonne Io. Euangeliſta uolens oſtendere hanc Poteſtatem ab æterno fermè fuiſſe, nonne dixit in fauorē Caiphæ, & cum eſſet Pontifex anni illius profetauit, uolens oſtēdere quod ratione authoritatis Pontificiæ profetauit, & uolens oſtendere quod à Deo ſemper data fuit in terris pontificatus Poteſtas etiam ante aduentum Chriſti, quoniam erat in Caipha, & ante Caipham in Moyſe, Aaron, Iacob, Abraham, & aliis. Sicut enim omnes Chriſtiani conueniunt in ſuſceptione ſacramentorum & ſunt æquales, & ex iſtis aliqui eleuantur ad adminiſtrationem ſacramentorum, neceſſe eſt quod aliqui ex iſtis etiam eleuentur ſuper alios ut habeant poteſtatem adminiſtrandi, & conferendi, quam non poteſt habere à ſeipſo nullus, ideò ſequitur de neceſsitate quòd Chriſtus in propria perſona conferat ſacramenta, & conſtituat ſacerdotes, & det eis poteſtatem, & quia Chriſtus non debuit remanere in terris, ſed aſcendere in cœlum reliquit Vicariū ſuū, & quamuis Chriſtus ordinauerit, & conſtituerit plures ſacerdotes immediate per ſeipſum, attamen debuit conſtituere unum ſacerdotem Vicarium ſuum, qui haberet prçeminentiam, & excellentiam ſuper alios, quia aliter chriſtianitas, & ſocietas chriſtianorum non eſſet una, nec ordinata, neque regulata, nec fundata in unione ſiue unitate, ſed in pluralitate & diuiſione, & per cōſequens in debilitate, & nō in fortitudine, quia unitas eſt cauſa omnis fortitudinis, & diuiſio eſt cauſa omnis debilitatis, & cum Chriſtus ſit ſapiētiſsimus Pater non potuit fundare Chriſtianitatem, & Chriſtianorum ſocietatem in diuiſione, ſed unitate. Sic igitur ſi Chriſtus ordinauerit plures ſacerdotes, neceſſe eſt quod ordinauerit unum principalem, qui haberet præeminentiam & excellentiam ſuper alios qui eſſet caput & princeps aliorum, qui ſingulariter & ſpecialiter repreſentaret perſonam ſuam, & eſſet loco ſui, & eſſet quaſi ipſemet poſtquàm debebat aſcendere in cœlum, & non habitare inter homines.

Nullus

Nullus Princeps quantumlibet Tyrranus aut hæreticus ſibi uſurpauit poteſtatem ſuam quam quidem mentientes ueram eccleſiaſticã uocant lutherani,certè nec Iulianus Apoſtata,nec Conſtãtius,nec Valentinus, nec Arriani Imperatores hoc fecerunt,nec Reges Gothorum in Italia & Hiſpania,licet ipſi fuiſſent peſsimi hæretici Arriani.Talis opinio quod non detur talis poteſtas eccleſiaſtica fuit in multis Cõciliis condemnata. In Concilio Conſtantiæ, & in Concilio Lateranenſe ſub Papa Innocentio I I I. anno 1215.ubi fuere 70. Metropolitani,& 400. Epiſcopi, & duo Patriarchæ Hieroſolo. & Conſtantinopol. & Legati Imperatoris Romani,& Græci,& Oratores Regum 5.Franciæ,Hiſpaniæ, Neapolis,Vngariæ, Angliæ, Cypri, & aliorum dominorum, & poſtea fuit condemnata in Concilio Viennenſi anno 1502. ſub Papa Clemente V. Quapropter dicendum eſt dari hanc Poteſtatem pontificiã abſque dubio & difficultate. Ad quid Antiqua Roma in ſua falſa Religione honorabant Petram Manalem, ſperans medio illius impetrare gratiam à Ioue quod exirent aquæ de cœlo ad irrigandam terram, niſi ut figurarent quodammodo poteſtatem pontificiam, & Myſticam Petram Petri à quo manent copiæ aquarum cœleſtiũ ad ſalutem omnium. Imperium Romanorum habebat ſuos Imperatores,Conſules, Senatores,Reges,Duces,Comites, Præſidentes,Præfectos, Locumtenentes,Tribunos militũ, Tribunos plebis, Prætores,Centuriones,Decuriones, Quaterniones,Quæſtores,Edilos,Scribas, & Lectores. In templo poſtea deorum erant Magiſter cerimoniarum, Flamines,Prothoflamines,Archiflamines, & communes ſacerdotes.Inter hæbreos ſummus ſacerdos, ſacerdotes minores, Leuitæ,Exorciſtæ, cantores, item diuerſa genera Religionum,& uaria Eſſeorum,Saduceorum,Fariſeorum: quemadmodum inter Romanos Salii, Diali, Veſtales: inter Græcos Cheliarchi,Hecatontarchi,Pentacontarchi, Decarchi, Pentarchi. Ad ſimilitudinem iſtorum Regnorum, & ordinum inſtituta & ordinata eſt Eccleſia Chriſtiana,ut poſſu-

mus confiteri unum caput, & una prima poteſtas. Nam Pontifex in toto regno ſpirituali ſimpliciter, & uia ordinaria, in temporali uerò, prout explicauimus, eſt Monarca, Imperator, & ſummus ſacerdos Vicarius Chriſti, Patriarchæ ut conſules, Cardinales ut ſenatores, Primates ut Reges, Metropolitani ut Duces, Epiſcopi ut comites, Vicarii ut præfecti, Archipresbyteri ut tribuni militum, Archidiaconi ut prætores, Decanes ut Centuriones, Perochi ut Decuriones, omnis ſacerdos ut tribuni plebis, Diaconi ut Ediles, Subdiaconi ut Quaterniones, Hoſtiarii ut Quæſtores, Cantores ut Lectores Poetarum, Acoliti ut ſcriptores, Monaci, & Monachę diuerſorum ordinum, ut Hębrei, Græci, & Romani, vnde ex hoc ordine uidemus relucere, & dari gradus infinitos aſpicientes vnum primum, & omnia officia vnum primum officium intuentia. Quare legitur de Daniele 2. cap. qui expoſuit ſtatuam illam magnam in ſomnis à Nabuchodonoſore uiſam, nonne ſtatua illa eccleſiæ eſt figura militantis? cuius caput aureum Chriſtus eſt, in cœlis, in terris autem Pontifex, duos habere pedes alterum æreum, alterum teſteum, eſt diuino, humanoque iure ſtabiliri, & conſolidari, quæ nunquam deſtruetur, aut cadet, niſi percuſſa fuerit à lapide ſine manibus emiſſo, hoc eſt diuina uirtute, ut in Montem magnum conuertatur, id eſt, in glorioſam, & triumphantem eccleſiam. Quidnam ſignificat figura illa Eſaiæ 22. de Eliaco filio Helchiſæ futuro Pontifice, dicens in fine; & dabo illi clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & nemo claudet, & claudet, & nemo aperiet, hoc inquam inter alia poteſtatem, & authoritatem deſignat, quam dare debebat Chriſtus Petro, & ſucceſſoribus, ut gubernaret eccleſiam in perpetuum, ſicut Regni Dauidici firmitas promiſſa eſt domui eius in æternum, id eſt, uſque ad aduentum primum eius, qui erat expectatio gentium iuxta prophetiam Iacob, ſic Regnum Pontificium regnabit uſque in ſæculum, id eſt, uſque ad ſecundum aduentum. Quare ſcriptum eſt in Gen. c. 17. Patrem multa-

rum

rum gentium conſtitui te, faciamq; creſcere uehementiſsimè, ponamque te in gentibus, Regesq; ex te egredientur, & ſtatuam pactum inter te,& me, & inter ſemen tuum poſt te fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te? niſi ut ſecundum ſenſum ſpiritualem, & latentem eccleſiam, & auctoritatem pontificiam oſtenderet. Quid enim infert,cum dicit aliàs Gen.22. Benedicam tibi,& multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & arenam quæ eſt in littore maris, poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum? nonne quodammodo loquitur ibi miſticè de pontificibus ſpiritualibus,& de poteſtate quã erat eis daturus Chriſtus? nonne mirificè congruit, cum dicit, poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum, cum eo Euangelii, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, ita ut portas inferi appellet inimicos huius ſeminis Abrahæ,id eſt, eccleſiæ. Quid Salomõ Sap. 6. c. cum dicit. Rex ſapiens firmamentum populi eſt, niſi de Pontifice,cum mirificè conueniat cum uocabulo petræ,& uerbo firmandi, quibus dominus eſt uſus, cum Petro Regnum eccleſiæ promittebat. Si à principio Deus cum hominem creauit,dedit ei,ut præeſſet piſcibus maris,& uolatilibus cœli,& beſtiis terrę,ergo uoluit dari unum ordinẽ, & regimen,ergo unam primam poteſtatem. Prętereà in tota eccleſia Dei debet eſſe cõformitas eorum, quę pertinent ad fidem,& ad mores,quæ fides ponit neceſſaria ad ſalutem, ſed talis conformitas uel ſimpliciter,uel commodè non poteſt ſaluari,niſi in ordine ad unum caput, ſiue ad unum principem, ad quem pertinet ſententiare quid credendum, & quid agendum etiam,& intantum iſte Principatus eſt unus, quod nulla authoritate poteſt diuidi, & talis non competit, niſi Pontifici,& eius ſucceſſoribus, nec dicendum quod eodem pacto competat Chriſto, quia oportet dare unum uiſibile, quod conuerſetur ſubditis, & eos regat ſecundum uariationem temporum,locorum, & perſonarum, vnde ratione conformitatis in moribus debet dari unum,ergo una prima poteſtas,& auctoritas. Sicut enim multi radii Solis ſunt,

ſed lumen unum, rami arboris multi, & robur unum, & de fonte uno plurimi riuuli defluunt, vnitas tamen ſeruatur in origine, ſiue radice; ſic in eccleſia multitudo Prælatorum, Epiſcoporum, & fidelium ad unum caput reducitur, & reduci debet ad unam poteſtatem. Nonne per Archam Noe repreſentatur eccleſia? quæ de lignis leuigatis, ideſt de perſonis dolatis, & à ſuperfluitatibus abſterſis conſtituitur, in qua Noe cum filiis.i. Chriſtus inuiſibiliter, & Pontifex ui ſibiliter cum ſuis ſubditis eccleſiaſticis dominatur, à quo ad ſalutem fidelium efficitur, regitur, formatur, & guberna tur, quæ proculdubio bitumine charitatis & gratiæ lenitur. Iſta archa habebat cenacula, manſtriculas, & triſtegam.i. di uerſas ſtatuum diſtinctiones ſcilicet officia, beneficia, digni tates, conuentus, collegia, Religiones, &c. Nam in domo patris mei manſiones multæ ſunt Ioan. 14. aiebat. In iſtis au tem triſtegis inueniuntur animalia munda & immunda, & in eccleſia boni & mali. Volatilia.i. uiri contemplatiui, iumenta uiri actiui, reptilia.i. peccatores & defectiui. Archa habet oſtium per quod intratur, & eccleſia fidem, feneſtra ſuperius per quam lux ueritatis uidetur eſt uiſionis ſpecies. Hic enim ambulamus per fidem 2. Cor. c. 6. in patria uerò per ſpeciem: nunc uidemus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem in charitate. 1. Cor. 13. d. Longitudo trecentum cubitorum eſt lógitudo fidei qua Trinitatem cre dit, altitudo triginta cubitorum eſt altitudo ſpei qua obtine re ſperat fructum triceſimum, ſexageſimum & centeſimum; ideſt triplex præmium cœleſte quod expectat. Latitudo quinquaginta cubitorum eſt charitas, quoniã Spiritus ſanctus qui quinquageſimo die poſt reſurrectionem datus eſt, qui eam accendit ac inflammat ut poſsit intelligere quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundũ. Iſta archa fuit lata inferius, & ſuperius ſtricta, deorſum enim eſt lata in mi litante prout multi ſunt uocati, ſurſum ſtricta in triumphan te quatenus pauci ſunt electi. Iſta in cubito conſumatur, & eccleſia in Chriſto perficitur. Iſta in diluuio tribulationum

fluctuat

fluctuat & concutitur,& qui in hac per fidem,& gratiam inuentus fuerit ſaluabitur, qui uerò per infidelitatem,& per peccatum extra manſerit, peribit & damnabitur. Finaliter autem eccleſia in iudicio ſuper montibus ſituabitur, & quieſcet, quando præſens diluuium tribulationum auferetur, iuxta illud; Fundamenta eius in montibus ſanctis,Pſ.86. Si igitur inter omnia illa animalia erat unus nempe hęc dirigens omnia, atque gubernans: In eccleſia uerò unum eſſe nempe Pontificem illud idem faciens, quis ambigit? Similiter, per Montem Synai,congruè eccleſia, cuius Papa eſt caput,& rector,ſignata eſt;in quo Monte conſpicitur congruitas temporis,eccleſiæ uniuerſalitas, & ipſius eccleſiæ altitudinis ſublimitas. Quare Hierem. 23.dicit; Dominus iuſtus noſter, hęc quamuis de Chriſto dicta ſunt, poſſunt figurari de primo Pontifice eius Vicario: dicitur enim dominus ratione plenitudinis poteſtatis, dicitur iuſtus ratione pręcipuæ ſanctitatis, dicitur noſter ratione eccleſiaſticę poteſtatis,a quo omnis poteſtas in eccleſia deriuatur. Pręterea non eſt multitudo non participans vno, ſed quę ſunt multa partibus ſunt vnũ toto, quę ſunt multa accidentibus ſunt vnũ ſubiecto,quę ſunt multa numero ſunt vnum ſpecie,quę ſunt multa ſpecie ſunt vnum numero genere, & quę ſunt multa proceſsibus, ſunt vnum principium. Sicut ergo totum vniuerſum dicitur vnum per aliquam vnam formam,ſicut vnus homo dicitur vnus vnitate ſuppoſiti, & formę, & vnum vnitate ordinis,& ipſius Principis Dei,qui eſt finis & origo omnium, hoc autem multo magis ueritatem habebit in ſancta eccleſia. Quare dicitur per Ezech.c.34.Suſcitabo ſuper eos paſtorem unum? & c.37.Paſtor vnus erit omnium ueſtrum? & Ioheles 1.Congregabuntur filii Iuda,& filii Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum,niſi ut figurarent vnam eccleſiam poſitam, & fundatam in vna prima poteſtate ſpirituali, in vno Chriſto,& in vno capite,& Pontifice Maximo. Si igitur hucuſque per ſimilitudines, per exempla,per religiones antiquorum,per figuras antiquę legis, per authoritates conci-

liorum

liorum,atque ſanctorum patrum, & per diſpoſitionem vniuerſi, etſi denique per ſenſum,rationem, & intellectum vnã primam Poteſtatem dari ex neceſsitate comprobauerimus, non ſolum propoſito noſtro, ſed merito materiei ſatisfecimus, nec amplius aliquis dubitabit, quoniam ſi corpus beſtiarum uiliſsimum conſtat mirabili ordine, & tali architectura, quod ſapientes hoc uidentes admirantur,& obſtupeſcunt, etſi in cœlo, in aere, in mari, in terra, & in omnibus poſtremo mundi partibus, & rebus conſpicimus, ordinem vnum, & caput. Quare in eccleſia Chriſti, per quam facta ſunt omnia, cœlum extenſum, aer diſperſus, mare diffuſum, terra fundata, & paradiſus plantatus: quare, dico, in hac eccleſia, quæ eſt conſeruatio vniuerſi, explicatio figurarum, conſumatio legum, & Epilogus omnes ſcripturas complectens dabitur vnum Chaos, vna confuſio, vna inordinatio, & vnus tandem infernus? hoc eſſet enim contra naturam, contra rationem, & contra intellectum, ergo neceſſarius ordo, ergo vnum principium, vnum caput, & vna prima poteſtas. Non eſt ordo abſque primo, accipe primum,accipis ordinem. Firmiter igitur, & catholice quiſque Chriſtianus tenebit vnam primam ſpiritualem poteſtatem dari ſupponens ipſam tanquam fundamẽtum, Axioma, & dignitas quædam famoſa, quæ non debet aliquo modo probari, ſed rationabiliter ſupponi, & explicari potius,ſicut ad præſens fecimus ad intelligentiam ſupremæ, & excelſæ Pontificiæ poteſtatis, & hæc ſatis.

Veniamus ad reliqua.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De Diffinitione Poteſtatis Papalis, & Diſſolutione eiuſdem in ſuas cauſas, & Primò de Auctoritate Papali Abſoluta Vniuerſali, quæ eſt cauſa Materialis.

Liber Secundus.

CVM iam manifeſtum ſit quantum ſubiectæ materiæ conuenit dari unam ſummam in terris ſpiritualem Poteſtatem, ipſam ad præſens deſcribendam eſſe iudicauimus ut exacte de ipſa certam cognitionem habere poſsimus, ut ſciamus id de quo tractatur.

Poteſtas Papalis eſt Authoritas abſoluta Vniuerſalis in Spiritualibus à Chriſto data Petro ut paſceret oues ſuas.

Diximus aũt eſſe Auctoritatẽ quoniã Pontifici omnis auctoritas conuenit, quæ auctoritas dupliciter cõſideratur, quoniam alia iuriſdictionis eſſe dicitur, altera uerò ordinis ſeu

doctrinæ. Poteſtas ſeu auctoritas ordinis illa meritò dicitur quæ reſpicit aliquem actum & ſubditos non intuetur ſicut ordines ſacerdotales, quæ poteſtas & auctoritas ordinis nullo modo poteſt ſeparari & auferri à ſacerdote legitimè ordinato, licet uſus talis poteſtatis poſsit ſeparari, & ideò ſciſmatici, hæretici, ſuſpenſi, digradati, & excommunicati ſunt uſu tantum & non poteſtate priuati ut omnes Theologi aſſerunt. Vnde omnis poteſtas ordinis uel reſpicit caracteris impreſsionem, uel caracteris perfectionem. Nam caracteris impreſsio fit in ordinibus quia in ordine imprimitur caracter, in epiſcopatu uerò licet nõ imprimatur caracter perficitur tamen caracter iã impreſſus ut per talẽ perfectionẽ poſſit Epiſcopus qui eſt perfectus ſacerdos ſibi ſimiles generare, ſed oẽs epiſcopi habẽt caracteris impreſsionẽ, & caracteris perfectionẽ, & ideò æquales Papæ in poteſtate ordinis.

Poteſtas ſeu Auctoritas iuriſdictionis eſt, quę ſubditos reſpicit ad aliquod opus operandum in eos, & appellatur auctoritas iuriſdictionis, quia nullus alius ſacerdos habet ius ad iudicandum, & ad ſoluendum aliquem chriſtianum, niſi tale ius datum fuerit ab ipſo Vicario Chriſti cuius eſt tota & cõpleta iuriſdictio quam Vicarius diſtribuit quibus uult, & ſicut uult, quia ſua eſt tota, & ei tota donata eſt. Vnde poſſumus dicere quod poteſtas iuriſdictionis ſit qua præſidens alicui Reipublicæ poteſt dicere ius ſtatuendo uel ſententiãdo cum obligatione ſubditorum ad habendum id quod dicitur pro iuſto, & uerè dicitur iuriſdictio ſecundum propriã ethimologiam quaſi dictio, ſeu determinatio Iuris, & eius quod iuſtum eſt per modum ſententiæ & obligationis quod facere non poteſt niſi qui iudex eſt, conſtitutus ſiue in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus. Placuit. n. Chriſto ut cuicunque Apoſtolo daretur authoritas ordinis, ita quod diſpoſiti eſſent ad conſecrandum corpus Chriſti, prædicare Euangelium, ad facienda miracula, ad docendum gentes, ad annunciandum remiſsionem peccatorum, & alia quæ Spiritus ſanctus

ctus ipſos dictabat, non tamē omnibus dedit authoritatem iuriſdictionis actualem uniuerſalem & illimitatam, qua in quemlibet uti poſsint.ſ.ligandi & ſoluendi; uidelicet regiminis uniuerſalis. At Petrus uel Papa ſucceſſor eius accepit prædictam auctoritatem iuriſdictionis datam a Chriſto, dū inquit, Paſce agnos meos, & oues meas Ioan. ult. quā quidem ante eidem pollicitus eſt, inquit.n. Matth. 16.c. & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis, & hoc facere poterat, & poteſt. At hoc pacto ut dictum eſt Apoſtoli non poterant nec ligare, nec ſoluere, Petrus autem ſic; quo fit ut ille qui ligatur & ſoluitur dicatur eſſe ſubditus poteſtati talis pontificis, & niſi ſubditus ſit per auctoritatem iuriſdictionis non ligatur neque ſoluitur, quia ſententia à non ſuo iudice non tenet, hinc habemus ad Ro. 14. Tu qui es qui iudicas alienum ſeruum? & hoc dependet a uoluntate illius qui iuriſdictionē dedit, qui eſt ſummus ſacerdos, ita quod dicimus quod poteſtas pontificia ſeu Papalis eſt auctoritas non ſolum ordinis ſed iuriſdictionis primò & principaliter, quia Papa poteſt eligi quamuis nullum habeat ordinem, & tamen habebit poteſtatem iuriſdictionis, unde conuenit poteſtas ordinis Papæ inquantum eſt Epiſcopus, non inquantum Papa, & ſic tanta ac talis poteſtas iuriſdictionis reſidet in Papa tātum quoniam illi qui non dat aliquid nō poteſt aufferre, ſed Papa poteſt deponere epiſcopos, ergo hoc facit quia habet hoc modo Auctoritatem eligendi prælatos. Ideò dicitur

Abſoluta. Ita quod non ſolum Papa habeat auctoritatem ſacerdotalem quæ eſt poteſtas ſupra corpus Chriſti, & poteſtatem abſoluendi & iudicandi peccata hominum, ſed etiam poteſtatem per excellentiam & in ſummo poſt Chriſti poteſtatem ita quod maior eſſe non poſsit, ſed habeat auctoritatem indiſtinctam, indeterminatam, ſine menſura, & nullo modo limitatam neque coarctatam, uel mēſuratā, & denique dicitur Abſoluta quoniā non

habet reſpectũ ad aliam auctoritatem nec temporalem, nec ſpiritualem,immò omnes aliæ reducuntur ad hanc ſicut ſuo loco declarabimus,& quando adducuntur auctoritates probãtes Papã eſſe æqualẽ multis,illæ debẽt intelligi uel ratione conformitatis naturæ,uel ratione ęqualitatis meriti, uel ratione dignitatis ordinis,non aũt ratione paritatis iuriſdictionis ac regiminis,quoniã quoad hãc abſolutus eſt & ſolus & ſic ſoluũtur infinitę obiectiones,& cũ eccleſia maior ſit cęlo,angelis, & omni creatura, ergo poteſtas Papæ, ſicut ait Chriſoſtomus,qui eſt Caput eccleſiæ maior eſt omni alia, & nulla æqualis ſibi. Vt habet.n. Papa caracteris impreſsionẽ eſt ſacerdos, ut caracteris perfectionẽ eſt ſacerdos Magnus, ut habet deniq; ſuper totã eccleſiã uniuerſalẽ iuriſdictionẽ eſt ſacerdos ſupremus & Maximus,& per hoc rapreſentat ſacerdotium Chriſti in ęternum.Quemadmodum.n.in ueteri lege non poterãt minores ſacerdotes de omnibus iudicare, ſed in negociis arduis recurrebãt ad maiorem ſacerdotem, ita in noua lege ubi etiam ſummi ſacerdotes reperiuntur, nequeunt ſimplices ſacerdotes de omnibus abſoluere peccatis,cum enim quiſpiam ſacerdotalem recipit ordinem, iuriſdictionem non ſuſcipit, nec quantum ad ſubditos, nec quoad peccata remittenda, ideò non licet ei uti iuriſdictione abſoluẽdi quoſcunque uoluerit,& de quibuſcunque peccatis, ſed opus eſt ut primo epiſcopo in caſibus ſibi reſeruatis præſententur ut ab ipſo iuriſdictionis poteſtatem accipiat, quoniam iuriſdictionis poteſtas à ſummo Pontifice immediate deſcendit in inferiores epiſcopos eccleſiam regentes, & ab illis in paroccos quibus animarum cura committitur,& ſic Papa eſt epiſcopus Eccleſiæ catholicæ, & cuiuslibet eccleſiæ immediatè quoad iuriſdictionem nõ quoad Miniſtrationem,quia ſic ceſſarent omnium aliorum poteſtates, & ſuperuacuæ eſſent aliæ eccleſiæ prælationes, debet enim Papa in gubernando eccleſiam Dei prouidentiam imitari,qui quamuis poſsit totum orbem immediatè per ſeipſum gubernare non tamen facit, ſed bene mediantibus ſe

cundis

cundis cauſis. Vnde concludo quod Papa ſolus tanquãm caput poteſt exercere omnĩmodam Auctoritatem & iuriſdictionem, nec eſt opus ut concilium ſuper his quæ ab eo ordinantur & rectè præcipiuntur eidem conſenſum præbeat alii uerò prælati non exercent ſine diſpoſitione capitis. ſ. Papę, habent tamen poteſtatem à Deo habitu, & non actu, & illa eſt ſubmiſſa Papæ tanquam capiti; & quamuis poteſtas & auctoritas ſit in Vniuerſali eccleſia, explicari tamen debet per Papam a cui primum atque immediatè datur, & per ipſum eſt in eccleſia. Quæ auctoritas non poteſt ullo pacto tolli à Papa, nam ſicut Malitia, ſiue peccatum ſimplicis ſacerdotis non tollit ab eo uirtutem & poteſtatem baptizandi, conficiendi Euchariſtiam, ac alia ſacramenta, ita peccatum ſummi Pontificis aliorumque prælatorum nequaquam minuit eorum poteſtatem, neque tollit, cum enim poteſtas prælationis ſit donum gratiæ gratis datæ non tollitur per aliquod peccatum, ſicut peccato directè non opponitur. Subditi itaque ordinis traditionem, & principis auctoritatem totis uiribus obſeruare debent. Nonnè Pet. 2. c. dicitur ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis ſed diſcolis. Nonnè Chriſtus Matt. 23. ipſe dixit. Super cathedrã Moyſi ſederũt ſcribę & phariſei quæcunque dixerint uobis ſeruate & facite, ſecundum uerò opera eorum nolite facere. Nonne tenent legiſtæ quod Papa de nullo crimine accuſari poteſt niſi de hæreſi ut eſt gloſ. communiter ab omnibus pro ſingulari allegata in cap. ſi Papa 40. diſt. Cum. n. labitur in hæreſim poteſt deponi, quia pro mortuo habetur quoniam peccatum nihil eſt, & nihil faciunt homines cum peccant, peccatum enim nihil entitatis habet, immò potius priuationem entitatis nempè gratiæ dicit, & quamuis multi Papæ inuenti ſunt flagitioſi, & hæretici, & iuſtè depoſiti, non tamen malitia eorum obfuit aliis ſucceſſoribus eorum uerè & debitè electis. In aliis enim caſibus cum Papa ſit Papa per legem diuinam quæ eſt immutabilis, non poteſt deſinere eſſe Papa, & ideò non poteſt ullo pacto deponi nec iudicari.

dicari. Dicunt enim quod ſi imperator & totus clerus, & totus populus conuenirent in unum non poſſunt iudicare Papam, nec deponere, & Petrus tirannicè à Nerone de Papatu & uita depoſitus eſt: Nonne uidimus Pontifices ſub tirannis perſequutionem patientes, demum tirrannos ad eorum genua procidentes ipſos adorare, & non immerito, quia debet Pontifex adorari adoratione dulia eo quidem modo, quo ad hæc uſque tempora ab omnibus iure adorari uidemus, & non latria, nõ enim propter ſe, ſed propter Deũ cuius illi principatu fungebantur, adorabant, qui Deus in ipſis uenerantur, ſicut fideles Syriæ, & Silicię Paulo fecere ut ipſe ad Gal. 1. inquit, & in me glorificabant Deum. Igitur cum à nullo deponi nec iudicari poſsit Pontifex ipſe, & ab omnibus adoratur, alioſque ſimpliciter & abſolute iudicat, habet auctoritatem abſolutam, ideò improbi & facinoroſi homines exiſtimandi ſunt illi, qui uolunt arguere Papam de peccato, inferiores .n. non debent publicè arguere ſuperiorem, ſed ſecretè, legimus .n. Conſtantinum Imperatorem dixiſſe, ſi uidiſſem clericum delinquentem ipſum clamide mea cooperuiſſem ne ab aliquo uideretur, quo Cato ſapiẽs dicit. Quantumcunque potes cœlato crimen amici. Deteriores enim ſunt, qui famam moreſque corripiunt his qui aliorum ſubſtantiam diripiunt. Nonnè Paulus. 1. Cor. 9. Bonum eſt inquit mihi magis mori quàm quis euacuet gloriam meam? Nonnè Deus Exo. 22. Diis non detrahes .i. clericis? etſi clericis obloqui non decet multò magis de principe clericorum, qui eſt Papa? Maria. Num. 12. c. ſoror Moyſi percuſſa fuit lepra quia murmurauit de Moyſe. Nonnè eſt inſtar homicidii? Hoc fatentur iuriſconſulti, hoc hiſtoriæ, & præſertim Salluſtius inquiens. Sæpius uidi grauius offendere animos auditorum eos, qui aliena uitia apertè dixerunt quàm eos qui commiſerunt. Et ſi Paulus Petrum reprehendit Gal. 2. Hoc ei licuit tum quia erat ei par in defenſione fidei, & hominem potius errantem quàm Papam reprehendit, ſi erraſſe dicendum ſit, ecque ac Papæ confeſſor pote ſt

teſt ipſum reprehendere ex ſui officii poteſtate: tum etiam quia doctor gentium erat ad quem ſpectabat ſcandalum à gentibus remouere ne labefacteretur fides eorum. Sed hoc non licet ad impios homines, nec debent redarguere ſummum Pontificem, quia ſolum Deum habet ultorem, ita ut liberè dicit poteſt. 1. Cor.4. Qui iudicat me dominus eſt. Chriſtus ſciebat Iudam Scariot illum proditurum tamen illum propalare noluit, niſi in genere, Vnus inquit Matth.26. ueſtrum me traditurus eſt. Facta Papæ excuſantur ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, Sanſon ab homicidio, Patriarchæ & alii plures uiri iuſti, quia habuerunt uxores ab adulterio. Vnde ſi aliquid reſcribit Papa quod abſonum ſit excuſatur, & attribuitur importunitati ſupplicantis, & magnitudini ſeu multitudini occupantium. Intentio Papæ, ut dicunt legiſtæ, ad quam ſemper recurrendum eſt non eſt lædere uel tollere ius alterius, nec declinare in partem dexteram, uel ſiniſtram, ſed in æquo libramine omnibus iuſtitiam adminiſtrare, quoniam, ut dicunt legiſtæ, tanta eſt Auctoritas Pontificia ut reſcriptum apoſtolicum ſemper præſumatur ex iuſta cauſa enarratum, & hæc præſumptio adeò eſt uiolenta, ut non admittatur probatio in contrarium, & hoc uolunt legiſtæ. Nefarii homines deberent recordari quod omni uitio carere debet, qui in alium paratus eſt dicere, & ut hypocrita Luc.6. primum eiicere trabem de oculo ſuo, & deinde feſtucam de oculo fratris ſui. Nōnè dicunt legiſtæ quod Dei & Papæ idem eſt conciſtorium, & factum à Papa quodammodo factum à Deo? omnimoda igitur iuriſdictio & auctoritas eſt tam in malo principe quàm in bono, & ſic malignitas ſeu iniquitas non minuit, nec extenuat iuriſdictionem, & ita honorandus eſt malus, ſicut bonus princeps. Papam ergo qui habet omnimodam & abſolutam poteſtatem debemus honorare uel ſit bonus, uel ſit malus. Concedimus enim malum Pontificem non paſtorem ſed lupum eſſe, paſcere ſeipſum non gregem, lateribus & humeris oppugnet & cornibus uentilat pecora infirma donec di-

ſper-

ſpergãtur foras,& quæcunque Ezechiel de malis paſtoribus dixit.34. Verũ amicc nõ eſt fas ouibus corrigere hoc malũ. Nõne ſcriptũ eſt. Impius immolans uitulũ, ſicut qui imolat carnẽ. Vnde Papa apertè malus à fidelibus eſt honorandus quamdiu à Deo tolleratur in Papatu, & quandiu non deſinit eſſe Papa, tũ quia dignitas & officium quo fungitur malum non eſt,ſed homo ſub illa dignitate conſtitutus poteſt eſſe malus,tum quia non exhibetur alicui honor ille in teſtimonium uirtutis ſuæ,ſed alienæ, & honoratur non quia malus, ſed quia Papa,nec ſecundum hoc honoratur propter aliquid quod ſit circa ipſum finaliter, ſed propter aliquid quod eſt ſupra ipſum ut propter Deum à quo in Papatu tolleratur,unde non peccat in officii exequutione ſed quia nõ rectè ut decet,ſed potius indignè exequitur, & ſic exhibendus eſt ſibi honor propter ipſam exequutionem non propter indignum. Nonne Dauid ueneratus eſt Saulum Regem? licet nõ ignoraret illum eſſe uirum iniquum & à Deo reprobatum? Nonne Chriſtus ſeruauit honorem pontificibus, & ſacerdotibus quãuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent? Nam cum leproſum mundaſſet illi dixit,Vade & oſtende te ſacerdotibus,& offer donum licet ſciret ſacerdotem ſacrilegum,& cum accepiſſet alapam, et ei diceretur ſic Reſpondens pontifici? nihil contumelioſè loquutus eſt, ſed humiliter reſpondit,Ioan.18.Si male loquutus ſum teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene quid me cedis? Nonne uoluit iudicari à Pilato, et illudi ab Herode? Cum ſummus Pontifex plenam,et abſolutam poteſtatem habeat,et ſit dominus omnium, illum non irridebimus, nam ſi ipſum irridebimus, Deum irridebimus. Quid 1.Reg.8.legimns de irriſoribus Samuelis? cum dixit Deus, non te contempſerunt,ſed me contempſerunt. Quid Exod. 16.et 17.de murmuratione populi contra Moyſem? nonne Num.16.Dathan et Abiron fuerunt contra Moyſem, et à terra abſorpti uiui fuerunt? et qui contra Aaron coniurarunt nonne conſumpti fuerunt igne? Acab & Ieſabel perſequuti

quuti fuerunt prophetas, & canes deuorauerunt eos. Pueri 4.Reg.2. Irriſerunt Hæliſeum, & urſi ipſos dilaniauerunt. Nonne etiã 2.Paralip.26.Rex Ozias cum auſus fuiſſet uſurpare ſacerdotium contra ſacerdotes in lepram incidit? Nonnè Saul.1.Reg.15.Quoniam ſacrificauit contra uoluntatem Samuelis principis ſacerdotum in eodem tempore, & ictu oculi priuatur ſacramento Regali, ſpiritu prophetico, & conceſſo ſpiritui reprobo? Res infidelis eſt non credere ſcripturis ſacris, impiũ irridere ſacerdotes, boni ſunt ſacerdotes, meliores epiſcopi, & ſupra omnes ſanctiſsimus eſt ſummus Pontifex & princeps ſacerdotum cui data eſt omnis poteſtas, & abſoluta, & cui commiſſa ſunt ſecreta Dei; Princeps ſecundum Deum, & Pontifex ſecundum Chriſtũ, quem qui colit à Deo honorabitur, & qui aliter faciet non fugiet Dei uindictam. Pontifex enim non quidem pro ratione & merito perſonæ, ſed pro merito pontificali ad utilitatem eccleſiæ eorum quibus præeſt non poteſt errare in his iudicialiter determinandis: et in ſuo ordine & gradu. Summus enim Pontifex, uniuerſalis præſens eccleſia, Concilia Generalia, & ſumma ſubordinata ſunt ſacræ ſcripturæ, quæ ſunt iurium & fidei. Piè ergo enim credendum eſt illum quem Chriſtus ſui loco in eccleſia ſuccedere promittit, ut Pontificem ſummum omni eſſe fide, pietate, ac charitate fulgentem. Nunquid, quia uidiſti Petrum negantem Chriſtum ipſum nunquàm fuiſſe fidelem iudicabis? Abſit, omnis nempè homo dum caro & ſanguis eſt, aliquando poteſt erraré, niſi ſpeciali priuilegio ſibi impeccabilitas fuerit conceſſa, ut Mariæ Virgini. Non mirentur ergo maledici de ueritate quam omnibus patefacio, quoniã nunquã fuit aliqua profeſsio, ita caſta & ſancta alicuius Religionis, in qua non repertum ſit aliquid erroris uel malitiæ, & tamen hoc non præiudicat Religióni, non auctoritati, non poteſtati, neque eccleſiæ. Non fuerunt inter Angelos multi rebelles? non primi fratres homicidę? Non prophetæ nepharii? Non inter Apoſtolos proditor? nõ diſcipulorũ Chriſti pec-

ſti peccatores? & inter Pontifices Romanos ultra multos ſciſmaticos, & improbos etiam hæretici? & quamuis Papa hæreticus poſt ſolitas admonitiones eiicitur, non propter hoc eiicitur pontificatus ex quo tunc ipſe ut iure incorrigibilis deponendus eſt cum ſuo iudicio damnari cœpit.i. conuerti nullo modo uoluit,ſed eiicitur ex eccleſia, & ſolio pôtificali,quod poſt legitimam depoſitionem per miniſterialem eccleſiæ poteſtatem,à qua & in fieri uia ordinaria pependit ipſe Papa per uim tenet occupatum tanquam Tyrannus,& non eſt mirum,quoniam cum ſolus Deus ſit ſine macula & peccato,in Religionibus non poteſt perpetua & uniuerſalis bonitas reperiri.Omnes debent excuſare Pontificem in omnibus rebus,nec debet aliquo modo improperari. Si erit indoctus & illiteratus,nonne tales Chriſtus elegit Apoſtolos, qui nec Magiſtri legis, nec ſcribæ fuerunt, nec ſynagogas,nec ſcholas umquam frequentauere? Si linguæ impedimentum obiicitur, nonnè recordaris Moyſem impeditæ linguæ,& Ieremiam neſcientem loqui? quin Zachariam quod mutus eſſet à ſacerdotio non excludi. Si ſacrarum literarum ignorantia, aut error,aut hæreſis obiicia tur, memineris de Ambroſio, qui nondum chriſtiano, ſed cathecumino in epiſcopum electo.& Paulum non ex infideli modo,ſed ex perſequutore ad Apoſtolatum uocatũ.Auguſtinum quoque aliquando Manichæum fuiſſe; & Marcellũ Martyrem in Papatu idolis Thura adoleuiſſe. Si obiiciatur illis ambitio, exemplo illis ſint filii Zebedei, ſi timiditas,extant Ionas,& Thomas,ille ad Niniuitas, hic ad Indos accedere metuentes; ſi perfidia Petrus, perfidiæ addidit periurium. Si fornicatio Ozias meretricem, & Sanſon ſcorta complexi ſunt,ſi percuſsio,ſi homicidium, ſi Militia, Petrus Malcho auriculam amputauit,Martinus Iuliano militauit,& Moyſes Aegyptiũ interfecit, & abſcondit in ſabulo.Verum quoniam omnis poteſtas bona eſt quia à Deo eſt à quo ſunt omnia, & omnia bona, & licet utentibus, aut patientibus aliquando mala ſint, uniuerſitati tamen ſemper

bona

bona ſunt prouidente ſic illo qui bene utitur malis noſtris. Propter multitudinem enim delinquentium ſuperinducit Deus Tyrannos, & peccata populi faciunt Regere hyppocritam. Nonnè populo Iſraelitico prædicens Deus dixit, conſtituam iuuenes principes eorum, & illuſores dominabuntur eis? & de Saule apud Oſeam prophetam, propter peccatum reiecti Samuelis dedi (inquit dominus) Regnum in ira mea. Nonnè Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha, qui ſextæ ſynodo interfuit narrat, de quodam malo Imperatore dato propter ſupplicium populi? Item de quodam epiſcopo qui epiſcopatu dignus non erat, ſed quia ciuitas eo epiſcopo, ideſt peſsimo epiſcopo digna eſſet, & ſic perſpici poteſt quod Deus permittit aliquando malos Pontifices, nec propter hoc aliquis murmurare debet, quia hoc non eſt ſecundum cor domini, ſed ſecundum malam noſtram uitam, ſi emendamus mutantur tunc paſtores. Anacletus enim in Epiſtola tertia ad omnes epiſcopos & ſacerdotes inquit; Doctor uel paſtor eccleſiæ ſi à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus, ſed pro reprobis moribus magis eſt tollerandus quàm deſtringendus, quia rectores eccleſiæ à Deo ſunt iudicandi. Idem Euſebius. Sed clariſsimè Bonifacius Papa Martyr inquit. Si Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehendatur, inutilis & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono taciturnus, & īnumerabiles populos cateruatim ducit ad gehēnam, cum ipſis plagis multis uapulaturus in æternum, huius culpas iſthic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos iudicaturus, ipſe à nemine eſt iudicandus, niſi à fide deuius. Non poteſt enim mala uoluntas hominis bonum Dei opus diſſoluere, neque enim quia Iudas fur erat, idcirco deſiit eſſe electus Apoſtolus, aut Saul, quia contempſit uerbum domini, & cūtempſit eū dominus ne eſſet Rex ſuper Iſrael, ſicut ait ſcriptura, idcirco eſſe deſiit Chriſtus domini, ut eum Dauid appellabat. Damnatum igitur ſe Sciat cum Huſsitis hæreticis quicunque ſic pertinaciter ſenſerit, ſcilicet neminē gerere uicem

Chriſti uel Petri, niſi ſequatur eum in moribus. Et ſi Papa uellet diſtribuere bona eccleſiæ parentibus non eſſet permittendus, ſed eſſet ei reuerenter reſiſtendum & non obediendum, uel pro tempore quo functus erit officio Pontificatus potius hoc eſt uſque ad finem uitæ tollerandum ſine eius depoſitione, uel exemplo beati Hilarii contra Leonem Papam præualuit orando, ſicut Anaſtaſius Papa periit ſcelere proprio & iuſtorum orationibus percuſſus; unde qui habet ſuperioritatem à Deo non ſubditis niſi per hæreſim, ut diximus, toties à communitatis corpore diuiditur, ſemper manet communitate ſuperior, unde non poteſt ab ea aliquatenus iudicari, & ideò ſolius Dei, qui ſolus ſuperior eius eſt, iudicio reſeruatur. Nemo enim dat quod non habet, in Papa eſt plenitudo Poteſtatis, & abſoluta auctoritas poſt Deum in terris, ergo nec iudicari, nec deponi ab aliqua authoritate alia quaſi uel maiori, uel æquali poteſt, ſed ab omnibus eſt honorandus, & omnes ei Reuerentia maxima obedientiam præſtare debent. Scimus enim quod nulla poteſtas niſi à Deo eſt, & quæ à Deo ſunt ordinata ſunt, ergo qui poteſtati reſiſtit, & Papæ non obedit, uel malo uel bono ſecundum pontificiæ poteſtatis exigentiam, diuinæ ordinationi reſiſtit. Nonnè ex principatu malorum ratione ordinis, & ratione diuinæ ordinationis inſurgit aliquod bonum? Per poteſtatem à Deo diabolo datam, nonnè Iob probatus eſt, ut iuſtus appareret? Et Petrus tentatus eſt ne de ſe præſumeret? Et Paulus colaphizatus eſt, ne ſe extolleret? ergo ex malis bonum aliquod ſemper à Deo elicitur. Omnis igitur inquam poteſtas à Deo eſt ratione eius ordinationis, & principatus; & poteſtas ratione prauæ adeptionis, uel executionis, uel prauæ intentionis non eſt à Deo niſi permiſsiuè & ordinatiuè, & licet poteſtas boni pontificis & mali ſit à Deo, abuſus tamen talis poteſtatis à Deo non eſt. Summo igitur Pontifici per poteſtatem quam habet ſemper obediendum eſt. Spiritualis enim hic homo omnia iudicat

dicat,& ipſe à nemine iudicatur,cùm ſua poteſtas ſit maior omni alia,cauſans per ſuam abſolutionem omnes alias poteſtates examinando, confirmando, & iudicando. Diſcat igitur quiſque in audiendo uel ſpernendo eccleſiæ paſtores,non uiles quaſque perſonas,ſed dominum Saluatorem, immò ipſum patrem ſpernere uel audire, quia in diſcipulo Magiſter auditur, & in filio Pater honoratur. Nonnè ſpernentes pontificem incurrunt pœnam maledictionis quum Chaam patris ſui deriſor probatus eſt? Chaam ideò maledictus fuit & poſt multa ſęcula manet,quia patri non eſt obſecutus,ſicut Sem,qui obſecutus eſt patri benedictionē habuit in omnia ſæcula: dicitur enim Deut. 17. Maledictus qui dehonorat patrem ſuum. Nonnè incurrunt etiam crimen leſæ maieſtatis pro eo quod Vniuerſalis eccleſiæ principem,Regem & dominum inhonorant. Præterea incurrunt in ſchiſma quia eccleſiam omnium fundamentum deſerunt non recognoſcentes Papam ut ſuperiorem, tametſi fortè credant, & pertinaciter ſiſtendo in hæreſim incidere facile poſſunt, ideò tales denique excluduntur omnino à ſpe Regni cœleſtis, quod Bonifacius ſcribens dicit; Aduerſus Beati Petri principatum quiſquis inſurgit,habitator cœleſtium non poterit eſſe Regnorum. Quicunque igitur à domino conſtitutus eſt epiſcopus in eccleſia dignū & iuſtum eſt obedire illi, & in nullo contradicere, qui aliter facit contemnit Deum. Ideò non tibi licet dicere eccleſia quando erat in paupertate benè ſtetit, ſed quando ditata fuit uenenata fuit, culpa non eſt diuitiarum & donatorum, ſed abuſi, cuius abuſi nullus eſt iudex niſi Deus. Honoramus ergo bonos & malos principes relinquentes iudicium Deo, quia ille qui introducūt ſectas in eccleſia Dei pro complacentia ſui ipſius,aut gratia lucri,aut gloria fictę ſanctitatis dicūtur rebelles principales eccleſię Romanę,& iſti ut Nadab & Abiu,qui offerētes alienum ignem ſuper altare Dei ab ipſo combuſsi fuerunt, & illi qui rumpunt unionem religionis, & diuidentes membra

bra Chriſti affligunt eccleſiam Dei ab eiſdem pœnis cum quibus punitus fuit Gieroboam caſtigati erunt. Omnia igitur Deo relinquemus, qui ſolus iudex eſt tantæ ſupremæ poteſtatis. Omnia enim per Deum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, inde tantæ poteſtatis iudicium ſolus habet. Nonnè dicunt quod Papa eſt Petri ſucceſſor & Vicarius Ieſu Chriſti uicem ratione officii non puri hominis, ſed ueri Dei gerens in terris? Et quamuis Petrus & eius ſucceſſores non ſua fungantur auctoritate, & iuriſdictione in omnibus, quoniam ſunt plures prouinciæ & populi plures qui Eccleſiæ Romanæ, nec obediunt, nec illius agnoſcunt ſuperioritatem, non propterea ſubſequitur, non habere Papam abſolutã auctoritatẽ ſibi debitã, talẽ in ſui natura ac tantã, prout ſupra declarauimus; quãuis dicãt in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in omnes fines terræ uerba eorum, quod dictum ſi hucusque non ſit impletũ, implebitur tamen, & fiet quandoque unum ouile, & unus paſtor. Omnia Chriſto ſubiicientur, & ſicubi Euangelium prædicatum hucusque non fuit, prædicabitur tamen, fietq; reliquiæ Iſrael ſaluæ, & gentes omnes conuertẽtur ad Chriſtum, & ſub obedientia ſummi pontificis uenient. Qui enim Pontifici detrahit, eccleſiæ detrahit, cuius gloria eſt ſubditam eſſe Pontifici in domino, ut uxorem uiro ſuo, quæ uerba Apoſtoli in ſenſu miſtico expoſita nihil aliud inferũt niſi de eccleſia, & de Pontifice cum uxor ſit eccleſia, & Pontifex Vir. Qui igitur Romani Pontificis obedientia malo prauoque animo tanquam ſciſmatici, & hæretici ſe ſubtrahunt nihil ad eccleſiam orthodoxorum pertinent, quàm Arrianorum, aut Donatiſtarum eccleſię quæ ſathanæ potius conciliabula dicendæ ſunt, quàm eccleſiæ Chriſti. Qui tamen ſimpliciores numquam de hac re diſputatum audierũt, nec edocti implicitè crediderunt cuncta quæ Chriſtus docuit, libenter hanc ueritatem ſuſcepturi, ſi fuiſſet ei prædicata, non facilè ſunt condemnandi. Quapropter ſine dubio fatemur Romano Pontifici Petri ſucceſſori uelut Paſtori & Re

ctori

ctori totius Chriſti gregis iure diuino auctoritatem iuriſdictionis abſolutã cõpetere modo ſæpius expoſito non ſolũ in cæteros epiſcopos & eccleſiaſticos ſed in omnes Chriſti fideles,qui dicũtur oues Chriſti gregis, ẽt ĩ Imperatores & Reges & cæteros chriſtianitatis principes,non quod auferatur ab eis ciuilis poteſtas,& auctoritas, ſed quia illos delinquentes punire poſsit ſecundum leges diuinas & eccleſiaſticas,& dignitate, ac magiſtratu priuare ſicut iam diximus, & dicetur. Quomodo Poteſtas põtificia ſit Abſoluta iam declarauimus, nunc quomodo ſit uniuerſalis ad complementum cauſæ materialis oſtendemus. Dicitur autem Vniuerſalis quoniam Iacobus fuit ſucceſſor Ieſu Chriſti pro Regimine eccleſiæ Hieroſolimitanæ, Petrus autem in Regimine uniuerſalis eccleſiæ,ideò quãuis Papa cõcederet alicui pro diſtantia locorũ abſolutã poteſtatẽ, & quaſi omnem illã poteſtatẽ quã haberet, non diceretur tamen ille Pontifex niſi per participationẽ poteſtatis,& nõ haberet uniuerſalem poteſtatem, ſed tantum illius prouinciæ, uel alterius loci, & dicitur etiam Vniuerſalis quia primus ſacerdos, & Vicarius Chriſti habet poteſtatem & auctoritatem per totum orbem,& quia non poteſt eſſe per orbem uniuerſum, ideò quia ipſe habet poteſtatem uniuerſalem ſibi datam,hac de cauſa poteſt diſtribuere & dare partem ſuæ auctoritatis aliis ſacerdotibus, & diſtribuere eis certã portionem chriſtianitatis quæ loco ſui exerceant poteſtatem iuriſdictionis. Quoniam poteſtas iſta Vniuerſalis primi ſacerdotis eſt ſemper neceſſaria toti chriſtianitati tanquam prima influens in omnes poteſtates ab ipſa deriuatas,& quia primus ſacerdos poterat mori, & poteſtas iſta erat ſibi data, non propter ſeipſum,ſed propter alios, ideò ſic debuit dari à Chriſto talis poteſtas,ut poſsit tranſire in alium poſt ipſum, & hoc fuit neceſſe,& ideò quia iſta poteſtas depẽdebat à Chriſto, à quo erat ſuſcepta,& nõ ab aliis, & tota erat ipſius ſummi ſacerdotis immediatè ordinati à

Chriſto

Chriſto ſequitur quod taliter fuit ei tradita, quod ipſe habuit auctoritatem & poteſtatem ordinandi, & diſpenſandi, & diſponendi de ipſa poteſtate ſecundum modum & formam qualiter tranſiret à Deo in alium poſt ipſum; Pōtifex; ergo non ſolum eſt Maximus uel ſummus, ſed Vniuerſalis dicitur, quoniam qui Maximus & ſummus dicitur eſt ille qui in aliquo genere eſt ita primus ut nullus ſit ei ſuperior, uel æqualis in illo genere, ut Rex Maximus diceretur, qui nullum Regem æqualem uel ſuperiorem haberet etiam dato quod multi inferiores Reges inuenirentur. Sed uniuerſalis dicitur qui non modo ſuperiorem, uel æqualem non habet in aliquo genere, ſed nec inferiorem in eodem genere, ipſe enim eſt omnia complectens in illo genere, & talis eſt Pontifex. Ideò Cyprianus Martyr de Cornelio Pontifice ad Antonianum ſcribens affirmat. Pontificem ita eſſe primum epiſcopum, ut ſolus ſit neque habeat ſecundum, ſcilicet præſidentia parem niſi in fidei defenſione, ut ſuperius diximus. Vnde omnes epiſcopi uocati ſunt in partem ſollicitudinis, & adminiſtrationis, ſolus autem Papa habet adminiſtrationem uniuerſalem in toto orbe. Vnde dicendum eſt, quod quantum ad officium & uniuerſalem iuriſdictionem Papa eſt epiſcopus uniuerſalis eccleſię, ſed quantum ad perſonalem adminiſtrationem ſingulariter eſt epiſcopus urbis Romæ, quia Papa ſuccedit Petro in perſonali adminiſtratione, Chriſto & Petro in officio & uniuerſali iuriſdictione eccleſiæ catholicæ. Singulariter igitur Petrus & quilibet eius ſucceſſor dicitur habere clauès per immediatam commiſſionem, deriuationem, & uniuerſalem adminiſtrationem; atque eſſe eccleſiæ uniuerſalem Paſtorem conſtitutum hoc comprobatur per Cyprianum, Auguſtinum, Maximum, Hieronymum, Chriſoſtomum, Theophilum, Gregorium, Ambroſium & Leonem. Paſcit Papa, paſcit epiſcopus, paſcit plebanus, paſcit plebani ſubſtitutus, ſolus tamen Papa ſucceſſor Petri eſt uniuerſalis paſtor eccleſiæ auctoritate & poteſtate, pulchritudo eccleſiæ hierarchię eſt. Quare patet

re patet quod plures poſſunt eſſe paſtores ſubordinati non ſe impediẽtes ſed adiuuantes, & unus omnium uniuerſalis. Apoſtoli.n.ut membra eccleſię fuerunt Petro ſubiecti ut Paſtori uniuerſalis eccleſiæ,quamuis Apoſtolatum habuerint immẽdiate à Deo gratuita præuentione. Papa ſemper fuit Paſtor etiã orientalium epiſcoporum,tamen non ſe intromiſit de ordinatione epiſcopi alterius patriarcatus niſi in cauſa diſcordiæ & depoſitionis. Quod Petrus fuerit uniuerſalis Paſtor quoad miſsionẽ attinet,teſtatur clemẽs. Petrum miſiſſe per orbem epiſcopos, epiſcopos autem,inquit, per ſingulas ciuitates quibus illi non miſerat doctos & prudentes, ſimplices ſicut columbas iuxta domini præceptum nobis mittere præcepit quod & inchoauimus & domino opem ferenti facturi ſumus. Præterea Chriſtus conſtituit Petrum uniuerſalem Paſtorem eccleſiæ, quoniam dixit ei ſoli multoties, Paſce oues meas. Præterea conceſſio beneficii & priuilegii facta ſimpliciter intelligitur uniuerſaliter facta, unde cum Chriſtus dixerit Petro, Paſce oues meas; non dixit illas uel illas, ut rectè ponderauit S. Bernardus, quare illa commiſsio generaliter debet intelligi cum omnes æque indigebant Paſtore, ergo uniuerſalis Paſtor eſt. Sicut enim iudices non debent eſſe incerti, nec tutores, nec procuratores, nec arbitri, ita nec prælati, alioquin ſubditi eſſent in magno periculo, neſcientes ob illam incertitudinem,quis eſſet prælatus eorum, ſequitur ergo quod per illa uerba,Paſce oues, meas omnes fideles debere intelligi,ne oues paſcẽdæ à Petro ſint incerti, ergo uniuerſalis Paſtor,& quamuis ſinguli Apoſtoli in ſuas ſortes miſsi fuerunt ratione officii Apoſtolatus, ſicut etiam Petrus ſortitus eſt ſuas Prouincias Ponthum, Bythiniã, Gallatiam,Cappadociam,ut Hieronymus teſtatur, tamen hoc non impedit Petrum eſſe uniuerſalem Paſtorem aliorum ſicut Archiepiſcopus propriã obtinet dioceſim, & tamẽ prę latione præeſt epiſcopis per totam prouinciam, & ſic Papa Pontifex eſt Romanus apud Ioannem Latheranum, & ta-

men eſt paſtor totius & uniuerſalis eccleſiæ. Cum dicimus Vniuerſalis attende benè hanc uniuerſalitatem ne incidas in aliquem errorem, quoniam licet dicamus ſummum Pontificem habere plenam & uniuerſalem auctoritatem, non tamen ita plenam habet nec ita uniuerſalem ſicut habuit Chriſtus, qui eſt principalis dominus, non ita uniuerſalem, nec extenſiue, nec duratiue. Extenſiue non, quia Chriſti potentia ſe extendit ad omnes creaturas, omnis enim creatura ſibi ſubiecta eſt, Rationalis & irrationalis, terreſtris & infernalis, unde & dicitur caput Angelorum, ſed ſummi Pontificis poteſtas ſe extendit ſolum ad creaturas illas quæ ſunt gratiæ & beatitudinis capaces. Vnde eſſe caput ſolum dicitur hominum fidelium & uiatorum; ad ipſos etiam infideles non ſe extendit inquantum infideles ſed inquãtum uel facti ſunt, uel fieri poſſunt fideles & membra Chriſti & alias quoque ob cauſas & per conſequens unitati eccleſiæ aggregari. Duratiuè etiam non, quia Chriſtus habet poteſtatem eternaliter, ſed Chriſti Vicarius habet eam temporaliter. Nam quilibet Apoſtolicus habet hanc poteſtatem ſolum dum uiuit in hac præſenti uita licet in diuerſis continuetur uſque in finem iuxta promiſsionem factam per Ieſum Chriſtum. Ero inquit uobiſcum uſque ad conſumationem ſeculi. Quod ueritatem habet, quia ſua æterna poteſtas in ſuis Vicariis uſque in finem continuabitur. Non habet etiam plenam auctoritatem, ut Chriſtus quia Chriſtus ipſe in ſacramentis, quæ ſunt uaſa & cauſa gratiæ, quibus tota eccleſia in ſalutis uia dirrigitur, habuit poteſtatem excellentiæ, quod de aliquo ſuo Vicario dicere non debemus, quia in talibus hac comparatione ſolum eſt poteſtas Miniſterii, & licet non tantum, nec talem poteſtatem habeat qualem habuit Chriſtus infallibiter, tamen uerum eſt quod omnem poteſtatem habet quæ eſt eccleſiæ opportuna, & neceſſaria, ut de tali potentia loquamur ſicut loquitur Auguſtinus in libro de Trinitate de ſacra ſcriptura dicens. Quod nõ quicquid

quid ab homine ſciri poteſt huic ſcientiæ eſt tribuendum, ſed illud tantummodo quo fides ſaluberrima quæ ad ueram beatitudinem ducit, gignitur, defenditur, & roboratur, ſicut & ſuo modo ſummi Pontificis poteſtati. Non omnis potētia quæ homini communicari poteſt tribuenda eſt, ſed ſolum illa quæ neceſſaria eſt ad ſalutem hominum procuranda, & ut omnis alia poteſtas in eccleſia ab ipſa deriuetur, & ad ipſam ordinetur, & ei ſubiiciatur, quia pedes eius ſuccedunt pedibus illis de quibus ſcriptum eſt. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, & quos ſanctæ mulieres tenuerunt, & tenere debet uniuerſus populus chriſtianus, propter hoc conuenienter quilibet chriſtianus & fidelis loco ſalutationis ſcribit eidem pedum oſculo Beatorum. Cum igitur declarauimus quomodo ſit uniuerſalis Paſtor meritò appellabitur Pontifex etiam ſacerdos Magnus, Maior, & Maximus, Magnus quia perfectus ad differentiam legis naturæ, qui non erat Magnus, quia imperfectus, & legis Moſaycæ, quia erat figuratiuus, ſed in lege Euangelica eſt ſacerdos uerus & perfectus. Maior quia præeſt omnibus officium habentibus in eccleſiam. Maximus, quia eſt Vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri, quia propter poteſtatem ordinis habet uniuerſalem & plenam poteſtatem iuriſdictionis ſuper omni eccleſia & uniuerſo populo chriſtiano. Quid hucuſque igitur habuimus? Nonnè (ſicut à principio propoſuimus) exemplis, rationibus, atque auctoritatibus uobis manifeſtauimus Papalis poteſtatis Auctoritatem, Iuriſdictionis plenitudinem, prælationis dignitatem, officii Maieſtatem, & tandem termini ſui extenſionem. Nonnè uobis declarauimus. Qua ueneratione ſummus Pontifex dignus ſit, & quomodo ipſum omni timore, atque ſumma Reuerentia honorare debemus, uel ſit bonus uel malus? quoniã non ſingularem perſonam honoramus, ſed Patrem uniuerſalis eccleſiæ, Paſtorem abſolutum gregis dominici, ſucceſſorem Beati Petri, Vicarium Ieſu Chriſti, miniſtrum Dei, & denique exemplar diuinitatis adoramus. Taceant igitur

detractores, & erubeſcant maligni quotidie contra Pontifices Romanos murmurantes, murmurent non contra Pontificem & prælatos eccleſiæ, ſed contra facinora propria, contra peſsimam uitam, & contra inobedientiam ſuam, & tunc diſcent rogare Deum, & obedire ſanctæ Romanę Eccleſiæ, quoniam culpa non eſt mali Pontificis, ſed ſcelerum ſuorum quę merent malos paſtores, & malos principes. Nonnè Deus, ò improbe, permittit propter peccata noſtra malos Paſtores ſicut diximus & probauimus? Quilibet igitur chriſtianus & tota uniuerſitas fidelium ſemper in creatione ſummi Pontificis piis orationibus, ieiuniis, ciliciis, & largis elemoſinis non fictis, ſed ex corde prouenientibus debet cum mutatione malæ uitę Deum Opt. Max. rogare, & ſanctos Dei pro interceſsione orationis inuocare, ut ſanctę eccleſiæ ſuę Paſtorem bonum & ſecundum cor ſuum concedere debeat, quoniam Deus nunquàm derelinquit iuſtum, & populum fidelem ſemper cuſtodiuit, hoc enim pacto remouebuntur mali paſtores, & concedet Deus ſpeculum ſine macula, ſi autem è contra corda ſua obdurata erũt, increpent ſeipſos, & obediant ipſum non tanquàm malum Paſtorem, ſed tanquàm Vicarium Chriſti, non tanquàm lupum, ſed tanquàm ſucceſſorem Petri, & Paſtorem ouium. Quoniam iudicia Dei abyſſus multa; multoties enim propter aliquod bonum in Republica chriſtiana mali Paſtores permittuntur, quia ſolus Deus ſcit ex malo eligere bonum. Nonnè (maledici) pluuia cauſat grandines, fulmina, atque tempeſtates? & tamen eſt Dei benedictio, uictus terræ, & rerum flatus? Nonnè (impii) uenti cauſant terremotus, aeris corruptiones, & marium naufragia? & tamen ſunt in auxilio frugum, fructus maturant, & in ſpiritibus alimentorum uirtutem reſuſcitant? Nonnè (Arrogantes) ferrum occidit & ferit? & tamẽ ipſo in neceſsitatibus noſtris utimur, atque à periculis nos defendit? Nonnè (omnis ordinis perturbatores) ignis ardet atque conſumit? & tamen modo cibos coquit, & calefacit membra? & poſtremò uenenum ali-

quando in medicinis neceſſarium eſt. Si igitur bona quæ procedunt à pluuia, à uentis, ab igne, à ferro, & denique à ueneno maiora ſunt malis, quare non debent tollerari, quare ipſa ſpernere? ſimiliter ſi maiora ſunt mali Pontificis bona quam mala, quare non tollerare, quare non obedire, quare uelle aufferre ab ipſo poteſtatem, & ordinationi diuinæ reſiſtere, atque tanta temeritate ponere os in cœlum. Erubeſcite igitur homines nefarii, & conuertamini quoniam Deus eſt miſericors Dominus, & nolite opera ſcriborum & phariſæorum facere, ſed tantum ei obedientiam præſtare, ſic enim facientes conſcientiis ueſtris ſatisfacietis, ſcandala remouebitis, Religionem obſeruabitis, & Deo Optimo Max. tandem complacebitis, & hæc ſatis de cauſa materiali Pontificiæ poteſtatis, ueniamus ad aliàs diffinitionis partes.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De Auctoritate Spirituali, quæ eſt forma Poteſtatis Papalis.

Liber Tertius.

CVM de Auctoritate ſpirituali ſermo ſit faciendus, erit ad propoſitum ponere differentiam inter ipſam, & temporalem,ut cognitis quibuſdam accidentibus, eius natura nobis facilius pateſcat. Auctoritas ſpiritualis differt. n. a ſœculari in quattuor. Primo enim auctoritas ſpiritualis cenſuram ſuã tranſmutare poteſt faciliter ad omnes tam propinquos, quã remotos,cum ſit verbalis. Sœcularis autem gladium ſuum cũ effectu tranſmutare non poteſt tam faciliter ad remotos, cũ ſit manualis; facilius enim eſt uerbum, extendere, quàm manum. Secundo, Auctoritas ſœcularis non reducitur ad unum, quoniam quilibet eſt dominus ſuæ rei, Spiritualis ad unum. Tertio,Sœcularis diuerſificatur ſecundum diuerſitatem climatum,Regionum, & conditionum hominum, Spiritualis remanet in vnitate fidei. Quarto, Auctoritas, ſeu poteſtas ſœcularis intendit bonum multitudinis, quod eſt uiuere ſecundum uirtutem, ad quod poteſt uenire

uirtute

uirtute naturæ, per ea, quæ huic adminiculantur. Poteſtas Papalis Spiritualis intendit bonum multitudinis ſupernaturale ſcilicet æternam uitam, uel beatitudinem, & in ipſam dirigit. Non ergo tam precioſius eſt Aurum plumbo, quàm poteſtate ſœculari poteſtas ſpiritualis eſt altior, præfertur enim ſpiritualis temporali, ſicut Sol Lunæ; ideo dicebat Hugo de Sancto Victore. Quantum uita ſpiritualis dignior eſt, quàm terrena; & ſpiritus quàm corpus; ita poteſtas ſpiritualis terrenam poteſtatem honore, & dignitate præcellit. Rectè igitur dicimus in definitione;

In Spiritualibus. Quoniam poteſtas Papalis primò, & principaliter debet exerceri in rebus ſpiritualibus; & quamuis utrumq; habeat gladium, alterius tamen executionem Cœſari paſsim delegauit, altiori modo retinens temporalium iuriſdictionem, & ea de cauſa Saluator mundi mandauit Petro, ut gladium reponeret, non ut abiiceret. Vnde vterque ſpiritualis ſcilicet gladius, & temporalis in poteſtate Papæ eſt, ſed is ſecundario ad coercendum eos, qui gladio ſpirituali obedire nolunt, ille principaliter, is pro eccleſia, ille uerò ab eccleſia exercendus; ille ſacerdotis, is manu regia, & militum, ſed ad nutum ſacerdotis, oportet tamen gladium ſub gladio eſſe, & temporalem poteſtatem ſubiici ſpirituali; nam, ut Apoſtolus dicit. Non eſt poteſtas, niſi à Deo, ſed ſubiicit, quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Nec nobis obſtant multa ſcripturæ dicta, quæ uidentur excludere temporalem a ſpirituali, ſicut illud, cum dicit. Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra. Habentes alimenta, & quibus tegantur hiis contenti ſumus. Qui uolunt diuites fieri etc. Non poteſtis Deo, & Mammone ſeruire. Nolite ſolliciti eſſe animæ ueſtræ, quid manducetis, neque corpori etc. Reſpicite uolatilia cœli. Nolite poſsidere aurum. Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſsidet. Argentum, & aurum non eſt mihi. Hæc omnia, licet de affectu remouendo potius, quàm de re non habenda exponantur, & non tantũ de Papa, quàm de om-

de omnibus Chriſti fidelibus intelligantur, Papæ tamen applicata intelligenda ſunt quod non debet Papa primò & principaliter in his habere curam, ſed primo in ſpiritualibus, poſtea, & ſecundario in temporalibus, inquantum his indigemus ad beneficium eccleſiæ, & pro reparatione multarum rerum quæ ſunt in eccleſia. Quod autem Pontifex habeat poteſtatem temporalem ex Chriſti uerbis clarè manifeſtatur; nonnè dixit: Quodcunque ligaueris ſuper terram &c. quod eſt indiſtinctè dictum? Quare dixit etiam: Neſcitis quoniam Angelos uos iudicabitis, quantò magis igitur ſæcularia? Nonne etiam quando dicit ſi peccauerit in te frater &c. loquitur indiſtinctè? Quid plura? qui poteſt maius, poteſt & minus, Papa poteſt abſolutè in ſpiritualibus, ergo in temporalibus cum temporalia ordinentur ad ſpiritualia, & leges principum debent approbari à Pontifice. Nonnè ſacerdotes Veteris legis ſemper gubernauerunt temporalia? ergo tantò magis ſacerdotes nouæ legis cum non ſint minoris auctoritatis habeant regere in utriſq. Nec ualet dicere quod Papa habet poteſtatem in temporalibus quoad conſcientias hominum, quia hoc eſt ex mente hominum gloſare, ſcriptura loquitur indiſtinctè, ergo indiſtinctè debemus intelligere ipſam, ſcilicet quod habeat poteſtatem cœleſtis quoad conſcientias, & terreni quoad iudicia mundana, ſed cœleſtis ſemper, & primò, terreni ſecundario, & non ſemper; quoniam res ciuiles principibus dimittit & quia ſic cōuenit, & propter maximam animarū curam quam habet, & ſi principes malè gubernant, & reperiantur Tiranni, perturbatores, rebelles, aut hoſtes eccleſiæ poſſunt reprehendi, excommunicari, & deponi à Pontificibus, & ſi regnant cum mala gubernatione hoc eſt ex tirannide ſua, non ex mente Pontificum, hoc eſt ex potentia magna uiolenta quam habent permiſſa à Deo propter peccata noſtra, & non ex uoluntate Pontificis. Si inueniuntur igitur multa in ſcripturis quæ poſſunt ad fauorem poteſtatis Papalis, & Regiæ interpretari, & intelligi, quare non debemus ipſa

potius

potius intelligere & explicare ad fauorem eccleſiæ quàm re
giæ poteſtatis? cum ſciamus quod eccleſia nunquam utitur
tirãnide in uniuerſali ac munere principali, neq; oſtẽdit no
bis mala,neque promittit nobis caduca bona. Sed regia põt
eſſe ſic tirannica,ideo debemus interpretari ſcripturas(ſi bo
ni chriſtiani ſumus)ad fauorem Põtificis, exaltationẽ fidei,
magnitudinẽ religionis, & deniq; ad beneficiũ uniuerſale,
& ſpirituale potius,q̃ ad corporale beneficiũ. Qui aliter.n.
ſentiũt ſunt maledici,maligni,ignorãtes,neſcientes diſtin-
guere bona ęterna à corruptibilibus,mortale ab immortali,
& liberũ à tirannide. Ideò ne mirẽtur ignari quędam fieri à
Põtifice quę uidẽtur afferre ſcandalũ. Nonne principes pro
pace ſeruãda in regno multa fieri permittũt contra propriã
uoluntatẽ? Nunquid propter hoc nõ habent plenitudinem
poteſtatis in regno?Certẽ ſic,igitur ex neceſsitate occaſio-
nũ,non ex uoluntate ſacri Pontificis multa permittunt, quę
ignaris,& inſciis uidẽtur abſona,& indigna. Vtramq; igitur
iuriſdictionem cõplectitur Pontifex. Dixit.n.dominus Pe-
tro,Ecce duo gladii, ideò Petro tradita fuit omnis ſpiritua
lis,& tẽporalis poteſtas modo iã dicto,ita ut nulla unquã fu
tura eſſet,quę nõ ſubiiceretur ei,aliter fieret cõfuſio,ex quo
patet & ſpiritualibus,& tẽporalibus in eccleſia exiſtentibus,
Petrũ fuiſſe prępoſitũ:igitur omnia iura & ſpiritualis impe-
rii,& tẽporalis ſibi,ut diximus,tradita eſſe uidentur,dicitur
in temporalibus non quod ſit imperator, neq; rex,ſed quod
oẽs ſibi ſubiiciuntur modo expoſito,& ab ipſo ſic omnes co
gnoſcãt poteſtatẽ tanquàm à Chriſto cũ Chriſti Vicarius ſit
in terris. Vnde colligendũ eſt oẽs magiſtratus qui membra
ſunt eccleſię,ſummo ſacerdoti ut ſuperiori obedientiã debe
re. Regi autem obediendũ eſt in his quæ ad regium munus
ſpectant, nẽpè uſq; ad aras,quod ſi limites ſui officii trãſgre
diãtur,non amplius obediẽdũ; ſicut filii Iſrael qui ſub Rege
Babilonio uiuebãt quibus à Deo pręceptũ erat ut regi obe-
dirẽt,obediebãt regi externo in his quę ad officiũ regis per-
tinebant,ſed cũ ſtatuã adorare iuſsi ſunt, Regi obedire non

tenebantur,ſed Deo; unde nonnulli maluerunt in fornacem ardentem coniici, quàm obedire. Et quamuis in veteri lege Reges terræ conſtituebant Leuitas, ſacerdotes, & principes, dico quòd & ipſi Reges non adlibitum ſuum, & de quacumque tribu, ſed de præordinatis à Deo ad exercendum ſacerdotium hunc potius, quàm illum eligebant, & ſibi conſtituebant. Præterea lex illa carnalis erat, & terrena, promittens ſolum quæ ad ueterem hominem duntaxat reſpiciebant,& ideò lex uetus dicta eſt, ſecundum Auguſt. in quęſt. Lex autem noua ſpiritualis eſt, cœleſtia præcipuè reſpiciens, propterea tanta eius Pontifici à Chriſto Ieſu data eſt auctoritas,& dignitas, quod Reges, & principes non dedignantur capita eis ſubmittere ut uidebimus. Etiā quandoque ſi inuenitur aliquos ſummos Pontifices dare bona temporalia Imperatoribus,& Regibus, hoc non eſt intelligendum eos facere in dominii recognitionem,ſed magis in pacis eccleſiaſticæ conſeruationem, quia ſeruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Nonnè Adrianus uniuerſa ſynodo tradidit Carolo Imperatori ius, & poteſtatem eligendi ſummum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem? Hoc idem decretum confirmauit Leo Papa dans auctoritatem Othoni primo Regi Theutonicorum,& ſucceſſoribus eius in perpetuum; hoc autem nō aufert poteſtatem ſummi Pontificis, quoniam illi primi Imperatores tanquàm chriſtiani fuerunt multum fauorabiles eccleſiæ, & ideò ut daretur eis occaſio maioris fauoris, & protectionis, illa poteſtas eligendi ſummum Pontificem à ſanctis patribus fuit eis cōceſſa; Nonnè Carolus ædificauit multas eccleſias, Monaſteria, & pro Religione fecit infinita? Sed poſtmodum excreſcente eorum malitia,& cupiditate, illa poteſtas rationabiliter eſt ſubtracta, cum multoties uiſum fuit Imperatores eſſe contra eccleſiam, ideò Pontifex poſtmodum reaſſumpſit ſibi gladium correctionis, & reaccepit,ac tulit ab eis ius eccleſiaſticum,quod eis ex conditione ipſorum non conueniebat. Vnde manifeſtum eſt

Papam

Papam quantum ad uniuerſalem iuriſdictionem dominiũ
temporale prout,& fides & religio illud expoſtulat, à nullo
recognoſcere,niſi à Deo,quia à nullo poteſt iudicari, niſi à
Deo,unde Beatus Siluester recepit bona temporalia, non
quantum ad dominii recognitionem,ſed quantum ad im-
mediatam aliquorum temporalium adminiſtrationem. Nõ
ergo fuit intentio Conſtantini nouum ſancire, aut nouum
priuilegium conferre, ſed ius ei competens declarare, ma-
nutenere,exequi,iuri diuino ſe conformare, aut quocũque
alio nomine appellem. Vnde priuilegia ſedis perpetua ſunt,
diuinitus radicata,atque plantata, impingi poſſunt, tranſ-
ferri non poſſunt,trahi poſſunt, euelli nõ poſſunt. Ideò qui
miſtice de gladio,& alio ſenſu loquuntur,eos neque laudo,
neque ſperno,ſed uera interpretatio eſt de temporali, & ſpi
rituali poteſtate: quoniam utrumq. ſ. ſpirituale,& tempora-
le concurrere in unam perſonam, ut teſtati ſumus non incõ
uenit. Ideò Papa cõſecratur ut ſacerdos,& coronatur,ut ue-
rus princeps,& feſtum coronationis nunciatur omnibus Rẽ
gibus, ergo utraque poteſtas reſidet in eo, & utitur gladio
temporali quando fit opus, in arduis negociis, & maximis
difficultatibus imminente ſcandalo, ſicut Chriſtus,qui tem
plo eiecit ementes,& uendentes propter ſcandalum,ſcanda
lum enim patiebantur fideles, domum Dei domum nego-
ciationis factam in contemptum ęterni patris uidentes. Pro
leuibus enim quæſtionibus non recurrimus ad Pontificem,
ſed pro cauſis arduis, & grauibus quæſtionibus, cuilibet.n.
licitum eſt ſacroſanctæ ſedis antiſtis iudicium eligere. Cum
igitur Papa gerat uicem Chriſti, habebit poteſtatem ſacer-
dotalem & Regiam,cum Chriſtus has duas poteſtates ha-
buerit,& hoc manifeſtatur ex incarnatione,conuerſatione,
Paſsione,& reſurrectione. Ex Incarnatione enim, quia ex
tribu Regali trahit originem ſecundum carnem,& per Ioan
nem Baptiſtam nunciare uoluit ſuum aduentum,qui fuit fi-
lius ſacerdotis. Vnde Auguſtinus dicit in libro de conſen-
ſu Euangeliſtarum,quia Chriſtus futurus erat Rex, prophẽ

 ta,&

ta, & ſacerdos, ideò diuina prouidentia factum eſt; ut Matthæus inciperet à ſemine Regali, Marcus à Vaticinio prophetali, & Lucas à ſacrificio ſacerdotali. Ex conuerſatione; quia non ſoluit tributum, etſi inuenitur apud Matth. illud ſoluiſſe, non quia ſoluere teneretur, ſed ad euitandum ſcandalum ſoluit Matth. 17. Vnde Hieronimus dicit, quod dominus noſter & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius regis erat, quia ſecundum humanitatem ex Dauid ſtirpe erat generatus, ſecundum uerò diuinitatem omnipotentis Patris erat Verbum, & ideò tanquàm filius tributa ſoluere non debebat. Ex paſsione, nam poteſtatem Regalē oſtendit quando intrans Hieruſalem cum diabolo pugnaturus Regalem reuerentiam ſuſcepit ab Apoſtolis ſternentibus ueſtimenta, & ramos de Arboribus in uia, iuxta illud, Ecce Rex tuus ueniet manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum eius. Poteſtatem uerò ſacerdotalem oſtendit tunc quoniam ſeipſum obtulit in Ara crucis. Ex Reſurrectione, quia poteſtatem regalem oſtendit in diaboli expoliatione, quando multa corpora Sanctorum ſurrexerunt & introierunt in ſanctam ciuitatem in ſignum uictoriæ obtentæ, ſacerdotalem uerò oſtendit in Spiritus Sancti datione quando, dixit Accipe Spiritum Sanctum &c. Vnde data eſt mihi omnis poteſtas. ſ. ſacerdotalis, & Regalis in cœlo, & in terra, & quando, dixit Regnum meum non eſt de hoc mundo, ideſt modo mundano, quoniam ſunt alii Reges, qui indigent aliis, ſed Chriſtus nullo indigebat, & uoluit eſſe pauper quāuis Rex, & humilis ad noſtram ædificationem; ſummi enim ſacerdotes in ſacerdotio Leuitico habebant poteſtatem regalem non quidem in executione, ſed in depoſitione, & confirmatione eorum; ſicut Samuel ſacerdos Dauid Regem conſtituit & Saul depoſuit. Patet etiam de Heli, qui fuit iudex & ſummus ſacerdos populi. Et ſciendum quod poteſtas Regalis eſt in Papa & in aliis regibus & principibus mundi, nobiliori modo tamen & excellentiori eſt in Papa q̃ in eis primū: quia in Papa eſt per Papalem ſuā autho-

ritatem

ſtatem, qualem aperuimus, deinde per confirmationem & diſpoſitionem atq; correctionem ipſorũ, in eis eſt per executionem & adminiſtrationẽ. Poteſtas igitur iuriſdictionis ſpiritualiũ & tpalium immediata eſt in ſolo Papa, deriuata uerò eſt in oĩbus epiſcopis & prælatis, ſed in oĩbus ſæcularib. & principibus eſt in Miniſterium data, & eſt à Papa, ut gerens uicem Chriſti in terra, qui fuit uerus Deus, & uerus homo. Nonnè Moyſes repreſentat Chriſtum ut legiſlator, Aarõ ut ſacerdos? Chriſtus.n.fuit legiſlator, & ſacerdos, & ſicut Moyſes dedit leges, ſic Papa ut homo dat leges tẽporales, & ſicut Aaron dedit ſpiritualia, ita Papa ut uicẽ gerens Chriſti donat ſpiritualia. Rectè igitur diximus Auctoritatẽ Papalẽ primò, & principaliter eſſe in ſpiritualibus, ſecũdariò in ciuilibus, & temporalibus, quoniam claues ſunt ſpirituales quantum ad ſuos principales & immediatos actus, ſed quantum ad ſecundarios omnia corporalia, & ſpiritualia ſub poteſtate clauium, modo iam dicto includuntur, quoniam poteſt Papa ſubire arma ad defendendum militantes eccleſiæ tam ſpiritualia, quàm corporalia bona, & ſic nõ ſolum habet dominium in præsbiteros, uerum etiam in laicos quando opus eſt, quoniam ſolus Papa poteſt ſine conſilio Cardinalium deponere Imperatorem, & quemcunque alium. Imperatores & alii Reges uel principes à quibus benedicuntur, coronantur, unguntur, confirmantur, honorantur, monentur, caſtigantur, atque reprobantur, niſi à Pontificibus Romanis? Nonnè uidimus quòd electores auctoritate Papæ eligunt Imperatorem, quoniam eſt Miniſter Papæ, ſicut Papa eſt Miniſter Chriſti, qui Imperator debet Eccleſias contritas & confuſas reſtaurare, nouas ædificare, Dei ſacerdotes honorare, atque contra hæreticos, & rebelles tueri. Imperator enim debet eligi igitur à Papa ut eſt ſucceſſor Petri, & non ut ſingularis perſona quedã, & non debet per tirannidem imperium uſurpare, qm̃ hoc eſt uſurpare aliquo pacto ius diuinum, & quando conſenſu ſummi Pontificis eligũtur, tenẽtur eccleſias Dei defendere

 & chri-

& chriſtianum populum & Rempublicam dominicam in pace conſeruare. Pro quo miniſterio ſtipendiandi ſunt quando opus eſt Theſauro eccleſiæ corporali, quia quodam iure naturæ, & diuino pro tali Miniſterio debetur eis tale ſtipendium temporale, & datur eis tributum iuxta taxationem ipſius Papæ, ut defendat eccleſiam. Soli igitur Pontifici per ſe conuenit de iure & de facto talis ac tanta poteſtas ſupra omnes. Nonnè legitur iuxta illud Nicolai quòd Petrus accepit à Chriſto terreni, & cœleſtis imperii adminiſtrationem? Nonnè habemus quod Zacharias Pontifex Francorum Regem Huldericum depoſuit, & in cœnobium detruſit ſimiliter & Pipinum? Innocentius quartus Fridericum ſecundum ab imperio deiecit, & conſtituit in eius locum, Comitem Thuringiæ prouincialem? Alexander tertius Fridericum Barbam Roſſam pedibus conculcauit? Gregorius VII. depoſuit Henricũ IIII. & Rondulphum Ducem Sueuiæ eligi curauit? Sic Innocentius tertius reiicit Philippum magni Friderici Barbaroſſæ filiũ, & Otthonẽ Brunſuicenſem confirmauit, quo deinde depoſito, Fridericum. II. eligi procurauit, quo iterum per papam depoſito, Thuringiç Lantgrauius eius iuſſu electus eſt? Licet per Chunradum Sueuum apud Franchfordiam uictus fuit, & fugatus. Benedictus XI. luchinum uicecomitem Mediolani confirmauit, Maſtinum Scaligerum Veronæ, & Vicentiæ. Philippinum Gonzagam Mantuæ, Albertinum Rhegii, Carrarienſes Pataui, Aſtenſem Rhegii & Mutinæ. Sic Clemens. VI. Carolum Bohemiæ Regem contra Ludouicum fecit in Regem Romanorum elegi, ſed non obtinuit, tribus etiam poſt mortem Ludouici ſuffectis. Nonne Gelaſius excommunicauit Imperatorem Anaſtaſium quod Achatium, & ſchiſmaticos tueretur? Theodorus Phirrum Conſtantinopolitanum excommunicauit quod Acephalorum hæreſim inſtauraret, licet fictè pçnitens in communionem fuerit receptus? Paulus Cõſtantinopolitanus Phirro ſuffectus à Theodoro quoque excommunicatus fuit quod orthodoxæ fidei normam recipere re-

re recuſabat,in quem errorem & Conſtantinus Imperator deſcendit. Nõnè Martinus primus in Theodori locum ſuffectus ſtatim legatus Conſtantinopolim miſit, qui Paulum adhortaretur,ut ommiſsis erroribus ſuis,aliquando ueritatis callem ingrederetur, is autem non modo Pontifici bene monenti non obtemperat, uerumetiam legatos eius in diuerſas inſulas relegat,quamobrem indignatus Martinus C. & L. epiſcoporum Romæ habuit ſynodum, in qua Paulum omni anathematis uinculo damnatum dignitate priuauit, & Cyri Alexandrini,Sergii,& Pyrri damnationem renouauit,quæ ſententia diuinitus fuit approbata? Quid Gregorius Tertius?Nonnè Mox ut pontificatum iniuit Leonẽ Tertium Imperatorem ſimul & cõmunione fidelium priuauit, quod ſanctas imagines, ex ſacris ædibus abraſiſſet, & ſtatuas demolitus eſſet, & tabulas incidiſſet? Paulus Primus Conſtantinum Imperatorem damnat eò quod ſacras demoliretur imagines,& abrogato Conſtantinó,Nicœtum hæreticum conſtituiſſet patriarcham. Quid Martinus quartus? Nonnè excommunicauit Imperatorem Conſtantinopolitanum,quod in Concilio Lugdunenſi ſe cum ſuo imperio ad fidem orthodoxam reuerſurum promiſit, & non fecit? Innocentius Quartus Regi Portugaliæ,qui magnus dilapidator erat,& prodigus,qui etiam Monaſteria & pia loca, uiduas & pupillas deſtruebat,& grauabat,dedit adiutorem, & ipſum minimè regnare permiſit, niſi per adminiſtratorem. Quid Bonifacius octauus, Gregorius, Iulius, & Clemens? nonnè bella magna in Italia, & in Cęſares parauerunt pro conſeruandis bonis ipſius eccleſiæ? Et ſi aliquando Pontifices depoſiti fuerunt,ut Tiberius Papa ab Achatio hoc fuit ui, & de facto, & non de iure, fauente & adiuuante Conſtãtino Imperatore Arriano. Similiter ante aduentum Chriſti poteſtatem imperatoris datam fuiſſe à Populo non nobis obſtat,populus enim ipſam non dedit, quia ipſam haberet, quia nemo dat quod non habet,ideò cum populi non haberent hanc poteſtatem non poterant dare eam Imperatori,

ideò

ideò neceſſarium fuit quod poteſtas Imperatoris data à po pulo, confirmaretur à Papa,& quamuis princeps ſæcularis ſolutus ſit legibus,tamen ſecundum leges ſe uiuere profite-tur. Dicit Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori. Duo ſunt in quibus mundus hic regitur,auctoritas ſacra pontificum, & Regalis poteſtas, & poſt pauca, noſti itaque inter hæc illo-rum te pendere iudicio, igitur Imperator ſubeſt iudicio Papæ, & à fortiori multò plus alii chriſtiani. Cyprianus ſo-lebat dicere quod Imperatores chriſtiani pro æterna uita pontificibus indigent,Pontifices uerò pro curſu rerum tem poralium tantummodo legibus imperialibus utuntur ne ſeruientes Deo implicent ſe negociis ſæcularibus. Nulli igitur dubium erit niſi à fide deuiauerit in Papa ſitam eſſe omnem poteſtatem ſpiritualem, & temporalem, modo to-ties replicato, & ad illam omnes aliàs reduci tanquàm ad omnium aliorum cauſam finalem. Nec ualet dicere quod dominium fuerit ante ſacerdotium quoniam tale fuit do-minium tirannicum, ſed non naturale politicum, & recto atque iuſto titulo acquiſitum. Planum enim eſt quod in le ge naturæ poteſtas ſpiritualis fuerit ante temporalem quo-niam ante diluuium de Abel legitur quod obtulit domino. Poſt diluuium Noe egreſſus de Arca obtulit Deo holocau-ſta, & tamen neque de Regno, neque de Rege fit mentio in his locis, ergo ipſa de iure debet eſſe prior & guberna-trix aliarum poteſtatum temporalium propter finium per ſe connexionem. Quantum ad figuram igitur ſemper do-minium Papale præceſsit omnes Imperatores,& omnes Re ges politicos, quod etiam figuratur in Melchiſedech. Quan tum ad perſonam incipit in beato Petro quem planum eſt plures Imperatores præceſſiſſe & Reges in temporalium ad-miniſtratione, non autem quantum ad ipſius dominii iu-riſdictionem, quàm nec ante nec poſt nullus Rex uel Im-perator habere poteſt niſi à Chriſto Domino & per conſe-quens Papæ eius miniſtro modo iam dicto ſubduntur, quia poteſtas Chriſti æterna eſt,quæ non aufertur, regnum eius

quod non corrumpitur. Non habemus hoc clarum per illa duo luminaria, quæ myſticè iuriſdictionis indicant? Nam per ſolem denotatur ſpiritualis, & per lunam temporalis iuriſdictio. Vnde ſicut uidemus quod ſol dicitur Pater omniũ planetarum & Dominus, ita dicendum eſt Papam eſſe Patrẽ & Dominum omnium fidelium, & cum Papalis auctoritas ſoli aſsimiletur, & per Solem de per ſe ſolus illuminetur totus mundus, pariter & per Papalem auctoritatem uniuerſus mundus fidelium fatendum eſt, ut Regatur, gubernetur, & iudicetur abſque auxilio alicuius temporalis iuriſdictionis, quæ cum Lunæ æquiparetur quæ quidem cum de per ſe non ſit ſufficiens mundum illuminare niſi à ſole lumen accipiat ut fatentur omnes, ſequitur inferendum neceſſario ſpiritualem iuriſdictionem præferri iuriſdictioni temporali, cum ſit illa quæ modo ſuo præſtat auctoritatem imperiali & Regali iuriſdictioni. Qui igitur non dubitat Papam eſſe Chriſti Vicarium, non dubitat etiam maiorem omni Rege & Imperatore, & habere poteſtatẽ ſpiritualẽ, & tẽporalem ut declarauimus unitam, quoniam Chriſtus conceſsit Petro claues duas, denotans principium & finem eccleſiæ. ſ. poteſtatem ſpiritualem, & temporalem ſic connexas, principium cum dixit Ecce claues Regni cœlorum quodcũque ligaueritis etc. Finem cum dixit, erit unus Pater & unum Ouile, cui eiuſmodi authoritas neq; melius neq; ſanctius competere poteſt quàm ſummo Pontifici, quoniã in eccleſia non datur diuerſitas, neq; diuiſio, ſed unio & concordia. Taceant igitur illi, qui uolunt poteſtatem ſpiritualẽ ſeparari à temporali omnino. Nemini ambiguum eſt multos nobiles habentes ex proprio patrimonio poteſtatẽ iuriſdictionis temporalis aſſumi pluries ad Epiſcopatus, & tunc ſimul habẽt utramq; poteſtatẽ; tẽporibus Beati Gregorii eccleſiã habuiſſe patrimonium clare conſtat, ut patet in Regiſtro lib. 1. Epiſt. 2. de Sicilia, & lib. 5. Epiſtola 10. de aliis partibus, & ita oportet Papam habere etiam gladium temporalem in habitu, & in exercitio quando opus eſt. Huius ſententiæ fuit Bernardus,

lib.4. de conſideratione ad Eugenium. Nonnè Theodorus & Carolus Magnus Imperatores temporibus ſuis eccleſiæ omnia iudicia conceſſerunt? Quare Ieremias unus de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot in terra Beniamin ſicut habetur Ierem.1.Conſtitutus eſt à Deo ſuperior gentibus & Regnis? Vnde dixit dominus: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper Regna, niſi ut oſtenderet & manifeſtaret quod de ordinatione diuina eſt quod aliquis de ſacerdotibus habeat ſuperioritatem ſuper gentes & Regna, ſed non eſt alius niſi Papa, qui eſt ſummus ſacerdos. Idem habetur Deuter.17. ubi dicitur. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo ex decreto iudicis morietur. Ex hoc habetur, quod omnes tenentur obedire in omnibus ſicut ſuperiori illi, qui eſt ſacerdos & iudex omnium, ſed talis eſt Papa Vicarius Chriſti, qui eſt Iudex uiuorum, & mortuorum, igitur ſuperior omnibus etiam temporalibus. O Nomen Maximum Papa eſt, quoniam Homo & Dei Miniſter, uerus princeps & Pontifex, & denique quaſi Pater patrũ. Præterea qui habet principale cenſetur etiam habere conſecutiuum,& qui uult unum cenſetur etiam uelle id per quod peruenitur ad illud, ſed cum dominus noſter uoluerit Papam curam animarum habere, & hoc fieri non poſsit ſine adminiſtratione, & poteſtate temporalium, ſine quibus nec adminiſtrari poſſunt ſpiritualia, ſequitur ut uolüerit etiam, ut Papa ipſe & temporalium curam,& poteſtatem ſuo ordine habeat, etiam quia committendo Papæ curam animarum quæ eſt Ars artium, & quæ quidem animæ ſunt præcioſiores corpore, multò magis dicendum eſt ut ei cenſeatur ſic commiſſa utique cura temporalium. Nullus igitur auditis rationibus iam dictis dubitare deberet de prioritate auctoritatum,quęnam.ſ.auctoritas prior ſit Temporalis uel ſpiritualis, & quæ dignior,cum manifeſtè conſpiciamus poteſtatem eccleſiaſticam à ſeipſa dependere, & temporalem aliquo modo ab eccleſiaſtica. Videmus enim

terrena

terrena ſubeſſe cœleſtibus ſicut Mixta imperfecta, Lapides, Metalla, Zoophita, plantæ, animalia, & homines corpore potiſsimum ſubiacent ſeptem planetis, & iſti mundo ſupra cœleſti & Angelico, & hic ordo Angelicus ſummo Archetypo omnium auctore. Ita homines mundi ſubiacent dominatorib. mundi. ſ. Comitibus, Marchionibus, Principibus, Ducibus, Archiducibus, Regibus, & denique Imperatoribus, tanquàm ſeptem mundi dominatoribus. Iſti poſtea oẽs proportionabiliter in ordine ad ſpiritualia pręsbiteris, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Cardinalibus tanq̃ Angelis, & iſti denique Pontifici ſolo tanquam Deo terreſtri. Quemadmodum igitur Deus eſt Dominus ſupercœleſtium, cœleſtium, & terreſtrium, ita Pontifex modo ſibi conuenienti Dominus eccleſiaſticorum, Principum, & totius populi mundi, & quemadmodum terreſtria dependent ordine & effectualiter à cœleſtibus tanquàm à ſua cauſa, & ſupercœleſtia ab Archetypo, ita populi à principibus, & præsbiteri à Pontifice, & ſicut Deus tãquàm ſummus omnium opifex conſtituit ſupercœleſtia, cœleſtia, & terreſtria dando eis ordinem & omnia, ita pontificem conſtituit necnon clerũ, totumque populum, et ſic neceſſario oportet dari poteſtatem pontificiam ante Regiam & Imperatoriam, & Imperatoriam atque Regiam dependere à Põtificia ſine illo quem ſæpe diximus, ſicut dependent terreſtria, cœleſtia, à ſupercœleſtibus & Archetypo, quoniam quę gubernantur ab intellectu dignitate ſunt illuſtriora, & tempore priora cum ſint immortalia quàm ea quę à ſenſu gubernantur quæ mortalia ſunt, & mortale ſemper ab immortali dependet, ideò ſi maioris dignitatis ſunt quæ pertinent ad immortalitatem, ad rationem & intellectum, quàm ea quæ ad corpus, mortalitatem, ſenſum, & carnem, ergo maior potentia eſt illa Pontificis & ſuperior & prior quàm illa principum. Quæ authoritas pontificia non eſt à conſenſu hominum, uel per hæreditariam ſucceſsionem, ſed à Deo. Monarchiæ enim Aſsiriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum

per uiolentiam habuerunt auctoritatem; ut ex hiſtoriis patet,& ſic excellenter auctoritas pontificia eſt perfecta, quia data eſt à Deo,& Auctoritas imperialis confirmatur, & ordinatur à Pontifice quia datur à Deo ſic,& ſic bona, quia cum poteſtas ſæcularis non cognoſcat pœnas,& præmia uitæ futuræ,& merita,non eſt ſufficiens,ad gubernandum ſimpliciter homines ipſa ſola,ideò neceſſaria eſt alia poteſtas, quæ cõmuni nomine Poteſtas & Auctoritas ſpiritualis uocatur; quã Chriſtus uerus Deus,& uerus homo dedit Petro, quando ei cõmiſit Regimẽ uniuerſalis eccleſię,& ſemper poteſtas ſæcularis fuit habita per uiolentiã quouſq; à Põtifice cõceſſa quo debebat modo fuit. Et quãuis poteſtas & dominium regendi populũ ſit à Deo quantũ ad debitũ,non aũt ſemper quantũ ad acquiſitionẽ,uel uſum quãdo uidelicet malè acquiritur,uel poſt acquiſitionẽ homo malè utitur. Si autẽ aliquis contra prędicta diceret,ſi Pontifex habet utramq; poteſtatem,ergo ſuperfluę ponuntur iuriſdictiones principũ, dico quod conſequentia eſt falſa,immò ſunt neceſſariæ, quia plenaria iuriſdictio temporalis non ſic ponitur in Ro. Pontifice quantum ad immediatam executionem omnium actuũ qui ſublimia curans leuiora minoribus derelinquit; ſed in caſu neceſsitatis poteſt reaſſumere ipſam & exequi quando uult ſicut diximus,et ſi iterum inſtaret dicens,ergo Imperator & Reges ſi habent poteſtatem iuriſdictionis quãtum ad immediatam executionem & adminiſtrationem, ergo Maiores Romano Pontifice. Dico quod hęc maioritas(ſi fas eſt ita loqui,infert inferioritatem, nec hoc eſt indignum ſublimitati Pontificis, qui debet altiora principaliter curare, & ideò ex hoc non habetur quod ſint maiores Rom. Pontifice ſimpliciter immò inferiores, quia argumentaretur à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, ſicut nec Chriſto propriè pertinet Aureola,quia diminutionẽ importat,ſed pertinet ei aurea ſuprema & excellens, quantum ad immediatam auctoritatem quam habuit à Deo, & uniuerſalem iuriſdictionem, quæ arguunt & important excellentiam, &

ſublimitatem: Proinde nullus eſt Papæ æqualis. Si igitur hucuſq; oſtendimus quomodo Auctoritas Papæ principaliter eſt in ſpiritualibus, ſecundario in temporalibus, quid igitur non poteſt Papa? Poteſt igitur condere & ſtatuere leges, nonnè decretum eſt, quod qui negat Papam non habere poteſtatem condendi Canones, quod hæreticus ſit cenſendus? Poteſt interpretari, & modificare ius diuinum ipſimet non contradicendo, & per ſuas conſtitutiones, & diſpoſitiones quæ fundantur in iure naturali gentium impedire ut ſic ex eis nullum uinculum uel obligatio contrahatur uel oriatur. Poteſt eſſe iudex in cauſa propria cum à nemine iudicari poſsit. Poteſt ſolus reuocare conſtitutionem factam in Concilio ſi damnum aliquod eccleſiæ infigeret, ipſamque exponere & modificare, quoniam concilia non poſſunt præfigere legem Papæ, cum auctoritate ipſius facta ſint & approbata, ac per illum robur recipiant, & in eorum ſtatutis ſemper Pontificia auctoritas excipiatur ſicut ſuo loco dicemus. Habet etiam poteſtatem ſuper fidelibus, & infidelibus aliquo modo iuxta illud uerbum dominicum Fiat unum Ouile & unus paſtor. Habet omnimodam poteſtatem in ſpiritualibus, ergo poteſt diſſoluere matrimonium carnale, copula non conſumatum, & quandoque conſumatum diſſoluit, ut inter infideles quando alter coniugum conuertitur ad fidem altero nollente ſecum habitare. Præterea ſicut Dei auctoritate Moyſes in Iubileo dimittebat debitum corporale, ſic Papa per ſuas indulgentias dimittit debitum animarum, peccatum dicitur debitum. Solus ergo Papa ut ſpiritualis poteſt concedere plenariam remiſsionem omnium peccatorum, ita quod ut ſi quis uerè contritus & confeſſus illam conſequutus ab eo fuerit ſi ſtatim moriatur euolet ad uitam æternam abſque aliqua mora Purgatorii. Cum enim dantur indulgentiæ per Papam pro eccleſiis, uel hoſpitalibus, uel ſimilibus piis locis cōſeruandis, uel conſtruendis dantur pro ſpirituali utilitate conſequenda, nec hoc modo eſt ſimonia. Dico igitur quod

 in ſpi-

in ſpiritualibus poteſt omnia, condere ſtatuta, cerimonias, articulos fidei,alios atque alios ritus.& denique quicquid uult in utilitatem eccleſiæ,quoniam ſi habet auctoritatem abſolutam & uniuerſalem in ſpiritualibus,ergo omnia poteſt,quoniam quod abſolutum eſt excludit omnem reſpectum,ita quod concludendum eſt quod Chriſtus dedit poteſtatem Petro,Apoſtolis,atque eorum ſucceſſoribus in téporalibus quantum erat neceſſaria, in ſpiritualibus tamen totam. Omnes igitur ætates, omnes Regiones, ubi nominabitur Chriſtus ſemper ſubiecti erunt Romano Imperio,dedit ei poteſtatem,honorem & Regnum,omnes populi, tribus & linguę ſeruient ei dixit Daniel proph.7.Quid Apertius deſideras hoc,nonnè uidemus quod ſummi Reges Capite inclinato & pro Reuerentia genibus flexis tanta deuotione oſculantur pedes ſanctiſsimos Pontificis Romani Petri ſucceſſoris, & Chriſti Vicarii? Non uidetis quod concilia generalia quæ ſunt tribunalia Spiritus Sancti talem reſpectum habent huic ſupremæ auctoritati quod ſibi uidentur eſſe inualida, ſi ab ipſo non confirmantur? Non uidemus quod omnes uniuerſitates ambiunt pro ſuis accademiis priuilegia ſua, gratias, & fauores?Vbi nam differentiæ Regnorum & imperii committuntur, & cui pro ultimo iudicio,niſi Roma? Quis tranſumpſit Imperium in Germaniam niſi eccleſia Romana? Si igitur homo non ſaluatur abſque ſacramentis noſtræ chriſtianæ Religionis, ſacramenta non adminiſtrantur niſi à ſacerdotibus,ſacerdotes non unguntur niſi ab epiſcopis, epiſcopi non creantur niſi à Romanis Pontificibus,ergo impoſsibile eſt nos adipiſci ſaluationem niſi recognoſcamus ſacroſanctam potentiam & auctoritatem eccleſiæ Romanæ. Quare ab Imperatoribus,& ſacris Conciliis titulis uenerabilibus, glorioſis, & Ampliſsimis appellantur Pontifices Romani, nam modo illos appellant ſanctiſsimos, modo Beatiſsimos, Patres Patrum,princeps epiſcoporum, capita eccleſiæ,Directores, Magiſtros,& Paſtores totius populi chriſtiani? niſi ut epi-

teta correſpondentia ſummæ poteſtati darentur? Quid quæſo uult dicere Papa niſi per admirationem Papæ? Primum uerbum quod Pueri proferunt balbutientes eſt Papa, uolens oſtendere etiam natura Papam eſſe caput illud, & Regem noſtrum cui obediendum eſt dum uixerimus. Certè quod poteſtas papalis eſt mundi ſtupor, quoniam ſicut perſona Chriſti, quæ eſt una habet duas naturas diuinam & humanam, ita Papatum eſt unum officium habens duas poteſtates, diuinam & humanam, temporalem & ſpiritualem, regiam & ſacerdotalem modo ſæpe dicto: ſcripturæ ſacræ nonnè declarantur & interpretantur ultimò ab oraculo Pontificis Romani? Quæſtiones fidei deciduntur aut diffiniuntur per modum doctrinæ, auctoritatis, & decreti, aut Romæ, aut cum auctoritate Romanæ poteſtatis. Prætérea leges imperiales nonnè ſæpe indigent ſupplimento per auctoritatem Romanam? Et in lege naturali quæ nobis oſtendit bonum & malum, non neceſſe eſt per conſcientiam cum errat in particulari, recurrit ad iudicium ſedis Romanæ Apoſtolicæ? Nonnè Petra deſcendens de Rupe percuſsit ſtatuam quæ apparuit in uiſione Regis Babilonis? percuſsit dico Caldęorum Monarchiam tanquàm Leonem ferociſsimum, & crudeliſsimum. Percuſsit Medorum atque Perſarum Monarchiam tanquam Vrſam libidinoſam, percuſsit Græcorum Monarchiam omnium uitiorum plenam leopardi ſimilem, & ultimo Romanorum Monarchiam tanquàm belluam omnium peſsimam. Vbi nam ſemen & nomen Nabucdonoſor in Caldea? Vbi ſemen Ciri in Perſia? Vbi ſemen Alexandri in Græcia? & quis in Roma reperitur ex ſemine Iulii Cęſaris, Octauiani, Tiberii & aliorum Imperatorum idololatrorum? omnia deſtructa per petram & auctoritatem Pontificiam, & totum dominium conuerſum eſt in Romanorum Pontificem, in Vicarium Chriſti. Quis fecit cognoſcere & extimauit eccleſiam Romanam, & auctoritatem ſuam per totum mundum niſi Cęſares? Magnus Conſtantinus, uterque Theodoſius, Valentinianus

Marti-

Martinus, Iuſtinus Primus, Iuſtinianus, Phoca, Otton, Carolus Magnus, & denique Carolus Quintus, qui ſemper defendit eccleſiã ab impiis hæreticis. Quare Alexãder Magnus ſuperbus genibus flexis fecit reuerentiam ſummo ſacerdoti in Hieruſalem? niſi ut oſteuderet poteſtatem pontificiam eſſe ſupra temporalem? Nonnè Cæſar Auguſtus à Sibylla Tyburtina illuminatus de uero Rege per uiſionem mulieris geſtantis in gremio puerum, & per uocem audientem de cœlo dicentem: Hæc eſt Ara cœli. Vnde Imperatori dixit Sibylla, hic Puer maior te eſt, & ideò ipſum adora, quod fecit, ex tunc præcepit ne aliquis eum dominum uocaret, uolens innuere temporalem poteſtatem ſpirituali ſubiici. Per cauſam finalem uidemus hanc auctoritatem, quando dixit, Paſce oues meas, ideſt Accipe modo ſæpius dicto poſſeſſum totius mundi ſupra imperia, Regna, & ſupra omnem poteſtatem terrenam. Pontifex habet igitur Papatum principaliter, Regnum per additionem, habet Mitram ut ſacerdos, habet coronam ut uerus princeps, quamuis per humilitatem relinquit titulum hunc, & contentatur ut appelletur Paſtor, epiſcopus, & ſeruus ſeruorum Dei. Non incæpit Auctoritas Pontificia ad præſens, neque iam ducentum, trecentum & mille annos, neque in tempore ſancti Silueſtri per fauorem Conſtantini, ſed ante Silueſtrum fuit Fabianus, ante Fabianum Siſtus, ante Siſtum Euariſtus, ante Euariſtum Anacletus, ante Anacletum Clemens, ante Clementem ſanctus Petrus, hæc eſt origo & principium & fons Auctoritatis Pontificiæ, ſi quis igitur uult expugnare hanc poteſtatem oportet etiam expugnare Primatum ſancti Petri, & non ſolum Primatum Petri, ſed & ipſam auctoritatem ei datam à Chriſto, quoniam ſanctus Petrus non ex ſe habuit hanc poteſtatẽ, ſed à Chriſto accepit, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Nullus igitur per ea quæ diximus tot exemplis, ſimilitudinibus, rationibus, & auctoritatibus confirmata dubitabit amplius de digni-

tate,

tate, excellentia, atque Magnitudine Auctoritatis Pontificiæ ſpiritualis, cum iam clarè manifeſtauerimus ipſam ſicut architectonicam eſſe aliis priorem Natura, tempore, atque dignitate, & eſſe ſicut ſol inter ſydera, alias uerò ab ipſa tanquàm re uera inferiores, & modo iam dicto ut reſpectu ſibi ſubiectas. Diſcant igitur ſapientes Imperatores, & ſacri Reges cognoſcere ex dictis noſtris ueridicis perfectionem, & Amplitudinem dignitatis ſuæ, & iuxta ritum ſacrum Ro. Eccleſiæ uiuere, non abutentes legibus, neque ſpiritualibus reſiſtentes, quoniam hoc eſſet ius diuinum uſurpare, ordinem Dei confundere, Tirānicè regnare, Diabolo ſeruire, & ſe tandem inferiores facere. Imitentur antiquos anteceſſores ſuos chriſtianos eccleſię acerrimos diſenſores, legum tutores, atque conſeruatores, & ſedis Apoſtolicę obedientes. Nonnè uidemus per hiſtorias quod qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ inclinato capite, atque debita Reuerentia, & ſubmiſſione obedientiā dederunt, ſemper imperia ſua atq; Regna cum immortali gloria atque triūpho ampliauerunt? Qui uerò ſpreuerunt Rom. Pontificem & Chriſti Vicarium, populos inobediētes, ſubditos diuiſos, & ſeruos rebelles habuerūt, & ipſi tanq̄ tiranni, & eccleſię inobedientes, expulſi fuere miſerabiliter (ſic permittēte Deo propter inobedientiā ſuam) Dignitatē Regiā, atq; imperatoriam amittentes. Diſcant etiam Comites Marchionibus, Marchiones ducibus, Ducis Archiducibus, Archiduces Regibus & Imperatoribus Romanis ſeipſos ſubditos agnoſcere, & omnes mundi populi habeant ante oculos temporaliter dominis ſuis, & ſpiritualiter ſanctiſſimo Patri uniuerſali Papæ noſtro humiliter obedire, atq; omni amore ſeruire. Oēs igitur chriſtiani (ne detur confuſio ſed ordo & ne pedes, uel manus fungātur capitis officio) cognoſcere debent caput ſuum, & illi prout decet obedire, nec tanquàm malum, uel tirannum, ſed tanquàm primum iuriſdictionis auctorem à Deo Optimo Maximo permiſſum, uel datum in rectorem temporalem uel ſpiritualem. Sic unuſquiſque manebit in uocatione

ſua, ſic leges diuinæ obſeruabuntur, ſic eccleſiæ unitas exaltabitur, ſic infideles & rebelles eccleſiæ expellentur, atque conculcentur, & ſic tandem Dei uoluntas exequetur, & gloria eius manifeſtabitur. Et hæc dicta ſufficiant ad reliquas diffinitionis partes tranſcendamus.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De cauſa efficiente, atque de ſubiecto Poteſtatis Papalis; Quæ ſunt Chriſtus, & Petrus.

Liber Quartus.

IN deſcriptione enim Poteſtatis Papalis poſuimus ipſum Ieſum Chriſtum eſſe cauſam efficientem talis mirabilis poteſtatis, cum diximus à Chriſto data. Iuxta illud Pauli ad Epheſ. cap. 1. & 4. Chriſtus Ieſus ut Deus, & homo, caput eſt uniuerſæ eccleſiæ, & quoad humanitatem eiuſdem eſt naturæ cum hominibus. Propter enim ſitus eminentiam, effectus influentiam, naturæ conuenientiam, & perfectionis abundantiam Chriſto principaliter, & Papæ, qui eſt Vicarius eius Miniſterialiter, atque inſtrumentaliter conuenit eſſe caput eccleſiæ. Tenet enim ſupremum gradum, non ſolum ſuper homines, ſed etiam ſuper Angelos, omnia ſubiecit ſub pedibus eius, ſubiunxit, ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam quæ eſt corpus eius. Similiter de plenitudine gratiæ ipſius omnes accepimus gratiam pro gratia, dicitur etiam:

Ego ſum uitis, & uos Palmites, unde in hoc Chriſtus dicit ſe eſſe caput eccleſiæ, eo quod unius ſunt naturæ uitis, & palmites; propter quod cum ipſe eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, ut in illo eſſet uitis humanæ naturæ, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus. Præterea in ipſo complacuit omnem plenitudinem deitatis inhabitare. Sunt enim in ipſo omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. In capite enim ſunt aliqui ſenſus interiores, & aliqui exteriores, eſſe ergo caput eccleſiæ ſecundum interiorẽ influentiam non cõuenit, niſi ſolo Chriſto, quia interior fluxus gratiæ non eſt niſi ab ipſo, ſed eſſe caput eccleſiæ ſecundum exteriorem præſidentiam vniuerſaliter cõuenit Papæ, particulariter autẽ pt cõuenire aliis ꝑlatis reſpectu ſuorum ſubditorum, quorum eſſe caput eis cõuenit. Eſt igitur Chriſtus caput ꝑcipuum eccleſię, motum, & ſenſum ſpirituales in membra eccleſiæ influens per modum efficientis cauſæ principalis inquantum Deus, & ꝑ modum meriti, inquantum homo; & oẽs concedunt poteſtatem papalẽ inſtitutam fuiſſe à Chriſto ſolo, & non à Papa, uel cõitate Chriſtiana, nec ẽt ab eccleſia, ſed ab ipſo Chriſto immediate. Vnde quando Papa moritur Chriſto claues reliquit, & tamen eccleſia eſt cum capite Chriſto inuiſibili, & ſine capite uiſibili, paſſibili, uel mortali, & ſic neq; ab Angelo, neq; ab eccleſia Papa habet claues, niſi à Chriſto, & licet oĩs poteſtas ſit à Deo, ſingularius eſt illa Pontificis, & quo ad electionem, & etiam quo ad gubernationem. Dicit.n. Chryſoſt. Magna cura eſt Deo de eccleſia ſua non muro circundata, ſed fide circumſepta propter eccleſiã mare diuidebatur, & iterum ſumebatur, Petra ſcindebatur, & iterum coniungebatur, Manna pluebat de cęlo, & tanquam pruinoſa ponebatur menſa. Propter eccleſiã prophetę, propter eccleſiã Apoſtoli, propter eccleſiam vnigenitus Dei filius factus eſt homo. Ego ipſam ſtatui, qui cœlum fundaui, & angelos creaui., ſed propter cœlum crucifixus nõ ſum, propter cœlum cœleſte corpus non accepi, nec naturã angelorum aſſumpſi, ut diſcas, quoniam cœlo, Angelis, &

o mni

omni creatura ſingularior,& honorabilior eſt eccleſia: ergo poteſtas Papæ,q̃ eſt gubernãs eccleſiã eſt ſingularius & ſpecialius à Deo potius q̃ aliorũ poteſtas. Et quãdo dicit, ꝙ cũ electio ſit ꝑ collegiũ cardinaliũ,qđ ẽt erit poteſtas,dicendũ ꝙ Papatus ſi cõſideretur quantũ ad officiũ,& auctoritatẽ,nõ eſt ꝑ electionẽ cardinaliũ,ſed ꝑ electionẽ immediate à Chriſto; nã Petrus accepit auctoritatẽ Papatus in perſona oĩum ſequentiũ. Si cõſideratur in Papatu determinatio perſonæ illius,uel iſtius;hoc eſt per electionẽ Cardinaliũ, ſed tamen auctoritate Papæ,& ſic mortuo Papa remanet poteſtas in Chriſto,qui Reſurgens à mortuis iã nõ moritur,& modo cõueniẽti remanet in Collegio Cardinaliũ quoad determinationẽ perſonę & in eccleſia prælatorũ,& aliorũ fideliũ, tanq̃ in radice remota,& ſic ſimpliciter loquendo nõ moritur Papa,niſi quantũ ad actualẽ adminiſtrationẽ, quia Papa mortuo,eccleſia uacat,& priuatur adminiſtratione talis poteſtatis,& corrollariè ſequitur quod Papa eſt ſuperior collegio, ſicut Chriſtus Apoſtolis,qm̃ collegiũ nihil põt niſi quod per ſucceſſores ei conceſſum fuit. Vnde ſciendũ ſupremum ſacerdotẽ ante cõplementum electionis non fuiſſe ſupremũ, neq; habuiſſe claues,ſed poſt cõpletã electionẽ ueniunt ſibi claues,poteſtas,& dignitas nõ per Angelum,neq; per electores,ut diximus,ſed à Chriſto ex ordinatione ſua antiqua habet eã;nec ualet dicere Papam eſſe miniſtrũ eccleſiæ;qm̃ eſt miniſter Chriſti,& Vicarius eius,& caput eccleſiæ,à quo eccleſiaſtica iuriſdictio aliorũ omnino dependet,& eius imperio clauium actualis uſus ſuſpendi poteſt oĩbus, nec mortuo Papa nõ affert ſecum claues,qm̃ ſunt in manu Dei ex illa ordinatione; nec etiam dicimus Petrum uel alium ſucceſſorem habuiſſe claues,quia Epiſcopus Romæ, ſed quia inſtitutus & electus à Chriſto. Electio.n. eſt quædã diſpoſitio neceſſaria quã immediatẽ concomitatur plenitudo poteſtatis, unde claues à Chriſto ueniunt,non ab electorib. cum electores ſint tantum ad præuiã diſpoſitionẽ,Chriſtus igitur quum ſit principalis cauſa inſtituit eam & cõmiſit poſtea Petro,&

ſuc-

ſuccеſſoribus ideo dixi data Petro tanquàm uno principali capiti ad quod inferiores alii haberent reſpectum. Nam conſentaneum fuit ut Chriſtus ex mortali factus immortalis, cum cœlum conſcendit aliquem in terris dimitteret, qui eius uice caput, & Rector, eccleſiam regeret, ad quem mortalem mortales, & terrenum terreni homines, quibus cœli aditus ante obitum præcluditur confugere poſsint; in illis rebus in quibus pro humani generis imperfectione iudice egerent, atque Rectore. Nonnè hoc Regimen habemus in figura, quando Moſes cum aſcendiſſet Montem ut Deum alloqueretur, reliquit ſui ipſius loco Aaronem, qui uices ſuas gereret ſuper plebem, cui interdictum erat aſcendere Montem? Chriſtus dum fuit in humanitate rexit eccleſiam, cum cœlum conſcendit, & immortalitatem accepit, reliquit alium. ſ. Pontificem loco ſui ipſius, & mortalis cum mundo mortali ad regimen exiſteret, cum immortale cum mortali non conueniat; ideò dixit Mulieri Magdalenæ, noli me tangere, quia factus erat alterius uitæ, & non amplius erat huius mundi, & iſtius conuerſationis, ut ipſa exiſtimabat. Dicit Innocentius in c. ſuper his de uoto. quod Chriſtus non fuiſſet diligens Paterfamilias ſi non dimiſiſſet in terra aliquem, qui uice ſua poſſet ſubuenire neceſsitatibus eccleſiæ, cuius ſententiæ fuit etiam Sanctus Thomas lib. 4. contra gentil. cap. 74. Ordo enim requiritur in omnibus rebus, & hoc facit Deus ſapientia ſua, ideò noluit ipſe exiſtẽs in cœlo gubernare immediatè (quod quidem ſic facere poſſet per omnipotentiam ſuam) at uoluit niſi medio ſecundarum cauſarum, & hoc non ſolum in gubernatione rerũ temporalium, ſed etiam ſpiritualium, ideò Deus per Chriſtum, Chriſtus per Apoſtolos, quorum princeps Petrus, Apoſtoli uerò per ſacerdotes gubernarunt eccleſiam, quos equidem tanto nomine honoramus, licet ſolus Petrus ipſius naturalis principis ac uere capitis uices gerat, ſicut Angeli Dei mandata exequuntur, & cœli motu ſuo mandata Angelorum, & ſic cætera caduca, homo uerò qui ſubleuatus fuit

per

per gratiam Chriſti ad Deum, mandata Pontificis repręſentantis Chriſtum, qui eum ſubleuauit ad uerum lumen intellectus. Nonnè Deus ſolo uerbo omnia creauit,& tamē uoluit ex ſeminibus propriis animalia,& uiuentia ut ex humano ſemine hominem generari? ſic Chriſtus quamuis in cœlis immediatè per ſeipſum potuiſſet gubernare eccleſiam,tamen uoluit oues ſuas Petro paſcendas tradere, atq; per eum eccleſiam Regi, & gubernari,nec propterea eſt colligendum, eum eſſe minus idoneum & adiutore indigere. Nicolaus enim primus in epiſtola ad Michaelem, & multò ante Nicolaum Anacletus in Epiſtola tertia hæc inquit. Sacroſancta Romana,& Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper uniuerſas eccleſias, ac totum chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ergo neque Calcedonenſis ſynodus, neque Conſtantinopolitana, neque Nicena,neque ulla omnino alia Pontifici ſediq́ue Romanę priuilegia ſiue hanc maximam auctoritatem dedit, ſed ipſe Chriſtus. Neque ex Canone, ut iſti dicere ſolent, ſed ex lege diuina originem duxit Pontificia auctoritas ipſa,& à Chriſto proceſsit. Quoniam dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituturus erat eam,quam ab ęterno pręordinauit eccleſiam,cuius ipſe caput futurus erat in æternum, more terreni Regis qui cum ad Regiones longinquas fuerit profecturus (ne Regnum ſine capite relinquat) gubernatorem ſuum generalem,ſeu locumtēnentem, ſeu Vicarium in Regno conſtituit; cui plenitudinem ſuæ poteſtatis tribuens, ipſum ab omnibus ſubditis in omnibus, & per omnia uult obedîri,non ſecus ac ſibimet ipſi obediunt; ſed tamen ante principis diſceſſum Vicarii poteſtas nulla eſſe intelligitur, quando ſcilicet poſt eius inſtitutionem princeps adhuc remanet in Regno per aliquos dies, à die uerò diſceſſus Regis Vicarii incipit auctoritas,& poteſtas, ſic ipſe dominus noſter cum profecturus eſſet ex hoc mundo ad patrem, ne eccleſiam ſine capite relinqueret, ſuum Vicarium genera-

lem

lem inſtituit nempe Petrum dicens. Tu es Petrus, hoc eſt cum ego ſim Petra, ideſt fundamentum ſuper quo fundanda, & ſtabilienda eſt eccleſia mea, cum diſceſſero tu eris Petrus, hoc eſt mei Petræ locumtenens, & ſicut me præſente ſuper me fundatur eccleſia mea, ita me abſente ſuper te quodammodo ædificabitur. Non quidem ſuper te tanquàm ſuper Simonem, ſed tanquam ſuper Petram, Chriſtus enim Petra, & Petrus Petra dicitur. Hinc D. Baſilius inde pœnitentia illud exponens dictum, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c. inquit. Etiam ſi petra eſt, non ut Chriſtus petra, ſed ut Petrus petra eſt: Chriſtus enim reuera petra eſt immobilis, & inconcuſſa. Petrus uerò propter hanc petram. Largitur enim Deus ſuas dignitates non euacuans ſed habens dat, lux eſt, uos eſtis inquit lux mundi, ſacerdos eſt, ſacerdotes facit; ouis eſt, Ecce, inquit, mitto uos ſicut oues in medio luporum. Petra eſt, & petram facit &c. & licet contineat uirtute ſua molem eccleſiæ Chriſtus, ut inquit D. Ambroſius in Lucæ c. 9. ac inuiſibiliter eam gubernet, attamen quemadmodum in ſacramentis, cum ipſe ſolus omnia inuiſibiliter operetur, miniſterio tamen utitur uiſibilium ſacerdotum, ſic uiſibilem elegit miniſtrum in terris, per quem eccleſiæ molem huic ſuſtineret, per quem gregem ſuum uiſibilem inuiſibilis ipſe gubernaret. Quare cum eccleſia ſit quæ uideri, & agnoſci poſsit, neceſſe eſt ut uiſibilem eſſe Petram ſtatuamus, ſuper quam illa ſit uiſibilis ædificata, ut petræ nomine Petrum, Petrique ſucceſſorem confitentem Chriſtum intelligi uelimus, propterea mens eris Vicarius, aiebat ipſe Chriſtus, & tibi omnes obedient, tibi inquã (ut petræ) & capiti uiſibili, & mihi inuiſibili, loco enim mei eris in terris, & tunc tibi dabo claues Regni cœlorum, hoc eſt auctoritatem, & poteſtatem quam iam explicauimus tunc tibi relinquam, quando ero apud Patrem. Quamuis ergo Petrum ſuum inſtituerit Vicarium dicendo, Tu es Petrus &c. & ſic claues, ideſt auctoritatem tantam ei tradiderit, non tamen ipſo Chriſto mortali, ac paſsibili intelligi-

tur

tur Petrus habuiſſe auctoritatem, ideoq; ait dominus; Tibi dabo &c. quam quidem auctoritatem licet de promiſsione exponatur, poteſt tamen quoquè ſic intelligi, & Tibi dabo, id eſt, nunc nō do, ut ſis paſtor, ego enim ſum paſtor ouium; ſed nunc tibi dabo, quando a mortali iſta carne recenſero, mei loco ſuccedere poſſes. Quod germanè, & propriè magis etiam declarauit dominus, cum poſt reſurrectionem ſuam ait Petro; Paſce oues meas. Ioan. ult. Non dixit Chriſtus, paſces in futuro, ſed paſce in præſenti tempore, quaſi diceret, Tu iam es paſtor, quia ad patrem meum aſcendo, iam tua incipit auctoritas, illa ſcilicet, quam tibi tradidi, cum adhuc mortalis eram uobiſcum; nunc ipſa tu utere, & paſce oues meas. Paſce oues. & hæc ſufficiant pro cauſa efficienti ipſius poteſtatis Papalis: reliquum eſt, ut de ſubiecto talis Poteſtatis iuxta propoſitum uerba faciamus, ſcilicet, in quo fundatur, & cui debet dari. Diximus igitur in deſcriptione;

Data Petro, Vt denotaretur dari caput, fundamentum, & ſubiectum unum, in quo poſsit fundari talis auctoritas; quoniam Chriſtus dedit talem auctoritatem Petro, tanquam capiti; quoniam uoluit dari unum caput in eccleſia, ideo dedit Petro & ſucceſſoribus per Petrum. Quod multis rationibus, & ueterum auctoritatibus comprobatur. Sicut enim Paterfamilias aliis filiis aliquem unum primogenitum præponit, quem facit hæredem uniuerſalem, alios uero hæredes particulares ſub illo, ſic Chriſtus, qui dixit Apoſtolis, omnes uos fratres eſtis, vnū de Apoſtolis, ſcilicet Petrum aliis præponere uoluit, & cum loquitur de fratribus, non ſolum de Apoſtolis, ſed de omnibus fidelibus, qui uenturi ſunt uſq; ad finem mundi, & ideo in confirmationem Chryſoſtomus ait; Eximius Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum, & uertex collegii, & ideo bene dixit, Tibi dabo claues; Vnde Rabanus dicit, qui enim Regem cœlorum maiori præ cęteris deuotione confeſſus eſt, meritò præ cęteris collatis clauibus regni cœleſtis dotatus eſt. Ideo ut dicit Cyrillus L. Theſ. Petro omnes iure

 diuino

diuino caput inclinant, & primates mundi tanquàm domini Ieſu Vicario obediunt, & ſicut dicit Chriſoſt. ſuper illud Luc. 22. Tu aliquando confirma &c. Petrus obtinuit ut eſſet antiſtes mundi. Quam eminentiam poteſtatis, & dignitatis epiſcopalis Petrus habuit à Chriſto non ante reſurrectionem ſuam, ſed quando per aſcenſionem ſe abſentare debuit, quia hoc facere ante nec neceſsitas, nec decentia, nec utilitas erat, & omnia uerba, quæ Petro dixit ante ſunt intelligenda promiſsione, & ſpe, non datione; quia ei promittebat poſt reſurrectionem cum ſe abſentaret dare ei poteſtatem ſicut dedit, & tunc dedit poteſtatem quando dixit, Paſce oues. quod non eſt promiſsio futuri operis, quia dicit, Paſce. Præterea nullus ſapiens princeps mittet exercitum contra hoſtes quin det eis unum ducem principalem, & Capitaneum, ad cuius oris imperium omnes alii debẽt obedire, ſicut multi Reges habuerunt principes exercitus. Vnde quia eccleſia eſt terribilis caſtrorum acies ordinata, & Apoſtoli fuerunt cœleſtis aulæ milites belli triumphalis ducis, habentes arma ſpiritualia ſpecialiter gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei, debuerunt habere unum Capitaneum, ſcilicet Petrum; qui tanquàm caput aliorum à quo in acie ordinaretur, & ab ipſo facta eſt diuiſio, & ordinatio prædicatorum de conſilio, & aſſenſu aliorum ſicut etiam Papa agit de conſilio Cardinalium. Et Apoſtoli habuerunt auctoritatem etiam per Petrũ cui totum pabulum ouium per uerbum Dei commiſit dicens; Paſce oues & agnos meos. Sicut enim Adam quædam dona à Deo habuit perſonalia, ſicut omnem ſcientiam; quædam uerò pro ſua poſteritate in ſtatu innocentiæ, ſicut originalem iuſtitiam; ſic & Petrus quædam dona à Chriſto habuit pro ſua perſona, ſicut miracula, ut quod ad eius umbram ſanarentur infirmi, quædam uerò pro ſucceſſoribus ſuis in eccleſia, & hæc ſunt illa ſine quibus eccleſia non ſtaret, ſicut claues ligandi, & ſoluendi; aliter portæ inferi prȩualerent aduerſus eam. Vnde hanc plenitudinem poteſtatis per quam eccleſia reſiſtit mundo, &

 dia-

diabolo, Chriſtus contulit Petro pro ſe,& pro ſuis ſucceſſoribus. Ideò dicit Cyrillus. Quod ſicut Chriſtus accepit à patre ut eſſet Dux, & ſceptrum eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & ſuper omne quodcunque eſt,ut ei genua cuncta curuentur, ſic Petro,& eius ſucceſſoribus pleniſsimè commiſit uniuerſæ plebis poteſtatem. Et aduerte quod eccleſia fundata eſt ſuper Petrum dupliciter, uel ſuper fidem Petri, uel ſuper poteſtatem Petri,dico quod quantum ad fidem fundatur etiam ſuper Apoſtolos, quoniam omnes prædicauerunt fidem,ſed quod poteſtatem dico quod ſolus Petrus habuit poteſtatē, & tota poteſtas eccleſiæ collata fuit Petro, nec habet eccleſia aliquam poteſtatem iuriſdictionis niſi à Petro quam Petro Chriſtus conceſsit,& ſic Petrus, ut homo ab aliis diſtinctus per ſe ſingulariter, & ſucceſſoribus accepit plenitudinem poteſtatis, & claues, tamen non in rem priuatam, ſed in commodum totius eccleſiæ, & omnium fidelium, hoc ius ligandi,& ſoluendi accepit. & ſicut Chriſtus eſt Petra lapis angularis,& fundamentum fundamentorum, ideſt principale caput eccleſiæ indubitatum, ſic Petrus eſt ſubſtitutum, ſeu ſecundarium in comparatione ad Chriſtum, ſicut primus in comparatione ad alios diſcipulos, & ſic ſoluuntur difficultates illorum, qui dicunt omnes, uel alios eſſe Petrum,uel caput uel fundamenta. Petrus autem habuit primatum honoris non ex uocatione; quoniam prior uocabatur Andreas frater eius,qui & ſenior erat; non familiaritate conſuetudinis, quoniam ſic Ioānes fuiſſet eo prior; nec ſanguinis coniunctione,quoniam ſic Iacobus Mariç ſororis matris domini filius eo fuiſſet prior, ſed ratione prælationis, poteſtatis,atque auctoritatis. Et quamuis Petrus miſſus fuerit ab Apoſtolis in Samariam ad confirmandos baptizatos, non fuit propter hoc miſsio facta tanquàm ab habente auctoritatem mittendi, ſed per conſilium, & per amorem, & reuerentiam, ſicut ſi aliqui ſocii digniorem eligerent quem etiam honorare cupientes alicui Regi nuncium deſtina-

rent. Nonnè Herodes miſit Magos, & tamen etiam ipſi erāt Reges? nonnè pater miſit filium ſuum in hunc mundum, & tamen pater non eſt maior filio? Nec obſtat etiam quod Iacobus præſente Petro iudicauerit, quia hoc fuit ex benignitate Petri, ſicut ſi Papa ad epiſcopum aliquem diuertens permitteret illum de cauſis occurrentibus ſua in præſentia iudicare permittendo ſuo officio illa uti. Et quamuis Paulus primo nominat Iacobum, uoluit illum honorare in domo ipſius, & licet etiam Apoſtoli poſuerunt in urbibus Patriarchas, & primates, Petro ordinante, & auctoritatem præſtante hoc fecerunt. Ita quod nulli dubium eſſe deberet Petrum habuiſſe à Chriſto omnem poteſtatem, & ſoli Petro commiſſam fuiſſe curam omnium chriſtianorum, quod aliis rationibus & auctoritatibus etiam clarius demōſtrabimus. Non eſt dubium quod omnis mutatio nominis facta à Deo ſemper fuit indicium alterius cuiuſdam miſterii, quoniam fit ex aliqua ſpetiali gratia conſona nomini denuo impoſito quàm à Deo conſequutus eſt, uel conſtanter conſequetur ille cui nomen mutatur, ut de Iacob uocatus eſt Iſrael, eo quod uidit dominum, & Abram uocatus eſt Abraham quando fuit ſibi facta promiſsio de ſemine, etiam in libro Ioſue de filio Naue, qui uocatus eſt Ieſus, quia ſaluauit populum Iſrael. Sic Chriſtus mutauit nomen Simonis, & uocauit eū Cephas, ergo Simon à Chriſto conſequutus eſt illam ſpecialem gratiam, quæ eſt peculiaris huic nomini. Atque Cephas ut ibidem habetur. c. 1. Io. idem eſt quod Petrus, ſiue Petra, Chriſtus autem uocatur Petra. 1. ad Cor. 10. Petra uerò ſumitur pro fundamento, & fundamentum habet rationem capitis, ergo Petrus à Chriſto eſt inſtitutus primus, & caput in eccleſia. Præterea aduertendum quod prima petra dicitur eſſe Deus, quia eſt infinita poteſtas, ſecūda dicitur eſſe Chriſtus, qui habuit per diuinitatem poteſtatem à patre, tertia petra dicitur eſſe Petrus, quia ſuper ipſum data fuit ea auctoritas diuina & Chriſti quam ſæpe explicauimus. Nā ſi Pater Deus dedit oēm poteſtatem unico filio Chriſto, etiam Chri

ſtus dedit unicam poteſtatem Petro,& ſicut Deus mandauit Angelis,ut obedirent Chriſto, ſic Chriſtus mandauit Apoſtolis,& omnibus ſubditis ut obedirent Petro tanquam principi ſummo ſacerdotum & eccleſiæ,& ſicut Deus omnẽ plenitudinẽ gratiæ in Chriſto poſuit,ſic Chriſtus in Petro omnem poſt ſe plenitudinem principaliter poſuit. Ex his igitur debemus colligere quod Petrus ſuper omnibus aliis primatum accepit à Chriſto. Nõnè ſolus Petrus uiſionem habuit à Spiritu Sancto quod Chriſtus eſſet filius naturalis Dei Matth. 16? Vnde cũ dixit dominus ſpecialiter Petro Beatus Simon Bariona &c. claues conceſsit ipſo ut ad unitatem nos inuitaret. Nonnè teſtante Hieronymo,Auguſtino,Ambroſio Chriſoſtomo,& Origene,deſignatur ẽt prærogatiua primatus Petri ex eo quod in ſolutione tributi Chriſtus ſolum Petrũ,non ſolum omnibus Apoſtolis,ſed & ſibi tanquã parẽ adiunxit? Ideo dicit Auguſt. Saluator noſter pro ſe, & Petro dari iubet didrachma,pro omnibus ſoluiſſe uidetur,quia ſicut in Saluatore erãt omnes cauſæ magiſterii, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſum.n. conſtituit eſſe caput eorum, ut Paſtor eſſet gregis. Quare dixit confirma fratres Luc. 12. Et cum nominat Apoſtolos primò nominat Petrũ? niſi ut dicatur eſſe dignitate,& iuriſdictione primus. Nonnè magnum fuit indicium præcellẽtiæ Petri quod Angelus miſerit ipſas mulieres nominatim ad Petrum quæ nuntiarent Chriſtum ſurrexiſſe? ite,inquit,dicite diſcipulis ſuis,& Petro,uide quod nominat Petrum. Præterea cum Petrus primus ipſe Chriſti monumentum ingreſſus ſit, iſtud non eſt infimum iudicium præſtantiæ Petri, nimirum quod cum in eum locum primus introierit, unde ſurrexerat Chriſtus primus, Chriſti uices in eccleſia poſt Chriſtum eſſet geſturus. Potuit.n. Ioannes prius ingredi quippe curſu præuenerat Petrum, currebant enim (ut teſtatur euangeliſta) ambo ſimul, ac Ioannes præcurrit citius Petro, & cum ueniſſet prior ad monumentum ſubſtitit, nec eſt ingreſſus, uerum Petrus ubi uenit ad monumentum mox

introiit.

introiit. Primus ergo Petrus Chriſti locum intrauit, qui poſt Chriſtum primus erat in eccleſia futurus. In omnibus Chriſti colloquiis ille ferè ſemper primus erat, qui loquebatur, interrogabat, & reſpōdebat pro ſe & aliis, & poſt aſcenſionem creatus fuit ſummus Pontifex ab Apoſtolis. Præterea aſcendens in cœlum dixit, Paſce oues meas. i. fac ut ſis Paſtor, & prælatus generalis, ut. ſ. ad te pertineat diſpoſitio, & regimen generale ouiū & ouilis. Quid enim eſt ſoli Petro dicere Paſce oues meas? niſi Conſtituo te ſolum Petrum Paſtorem ſuper omnes oues meas, quia ibi Chriſtus non diſtinxit inter has, & illas, ſed generaliter omnium curam ſibi commiſit, omnis autem Paſtor primatum tenet ſuper omnes oues ſuas ſibi commiſſas, in ſuaque poteſtate eſt de ipſis curam gerere, at Petrus factus eſt omnium princeps, & caput: ergo ab eo mediate, & immediate omnis eccleſiaſtica iuriſdictio in inferiores præſules deſcendit, & ita nunc hæc poteſtas iuriſdictionis in ſua plenitudine reſidet in ſummo Pontifice quoad totam eccleſiam uniuerſalem, quia ipſius ſolius eſt uniuerſaliter inſtituere rectores. & præſules in eccleſiaſtica hierarchia, quos uocat ad ſe in partem ſollicitudinis, cum ipſe uocatus ſit in plenitudines poteſtatis. Præterea quid paſcere niſi regere ſignificat in ſacris litteris? nōnè in Iſa. 43. Cyrum paſtorem appellant? Nonnè in Ezech. 34. Dauid paſtorem dicunt? Quare dixit ſcriptura ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum? Quare dicit ſuſcitabo ſuſcitabo ſuper eum Paſtorem unum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid? Quare ſcriptum eſt, qui dico Cyro paſtor meus es? Etiam Poetæ hoc affirmant. Nonnè Homerus Agamenonem paſtorem populorum appellauit? Ad deſignandum hunc primatum Petri fortè Chriſtus dixit Petro multa ſeorſum, & ſeparatim, ſed aliis Apoſtolis loquutus eſt generaliter. Dixit etiam Luc. 5. Soli Petro Duc in altum, & ſi aliis diſcipulis imperauit, ut laxarent retia, quod annotauit Ambroſius. Sciens Petrus, quia dominus eſt in mare ſe miſit & ſic uenit ad ipſum, aliis nauigio prçueniētibus, quid

iſtud?

iſtud? Nempè ſignū ſingularis pontificii Petri per quod nō nauem unam ut cæteri quiſq;, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, Naues eccleſiæ, ergo habuit claues à Chriſto & prærogatiuam eminentiæ ſpiritualis; & pro eximia fide, dicitur Petra, & alii Apoſtoli ſecundariò fundamenta appellantur, cum Petrus ſit ſolidioris fundamenti, & principalioris. Præterea cum dixit, Tibi dabo claues Regni cœlorum, referenda primum ſunt ad Petrum ipſum, & cenſendum eſt ipſi factam promiſsionem clauium, deinde admittendus myſticus ſenſus, promiſſas eccleſiæ claues in perſona Petri, & ſic Petrus ſolus recipit claues, quia principaliter, & immediatè, alii uerò per ipſum à quo in alios poteſtas clauium deriuatur. Quare uerba omnia à Chriſto dicta Petro ſingulari numero proferuntur? Tibi dabo, non uobis; quodcunque ligaueris non ligaueritis Matt. 16. licet Matth. 18. c. ligaueritis dicat. Tu es Petrus, non eſtis Petrus. & è contra fuit Petri reſponſio plurali numero enunciata tanquàm omnibus grata, & accepta ne ſingulos oporteret reſpondere, quod etiam ſuperioritatem deſignat. Soli igitur Petro, ut omnium Paſtori data eſt áuctoritas regendi, aliis uerò ut ouibus de ouili expreſſa parendi neceſſitas, qui & ſi ſacerdotes forent & epiſcopi ualerentque ex Apoſtolatus officio ubique locorum uerbum Dei prædicare, & dominicum gregem paſcere mandante eis domino, ut docerent omnes gentes, nemo tamen eorum Petro excepto in alterum ulla fungebatur poteſtate. Pares itaq; erant in Apoſtolatus officio, in poteſtate ordinis, uel in meritis martyrii, uel in reprehenſionibus, impares dignitate, iuriſdictione, & adminiſtratione; quia ſolus Petrus fuit ſuperior, & omnes alii ſubditi, etiam Paulus, ſed in geſtis Papalibus Paulus Petro coniungitur, quia urbem ſuo martyrio conſecrarunt, & in paſsione fuerunt ſocii; ſic igitur Petrus à Chriſto habuit plenitudinem poteſtatis. Præterea ſicut Rex præter particulares theſaurarios uult habere unum de quo magis confidit ſuper omnes theſauros ſuos, per cuius

manus

manus omnia tranſcant, ſicut Eunucus Candacis Reginæ Aethiops erat ſuper omnes gazas eius, & ſicut Rex Pharao Ioſeph conſtituit dominum domus ſuę, & principem omnis poſſeſsionis ſuæ, ſic Chriſtus ſuper omnes theſauros regni cœlorum quod eſt eccleſia paſtorum uoluit eſſe unum uniuerſalem theſaurarium, qui haberet plenam diſpenſationē totius theſauri, ſed quia infidelitatem iudæ fuerat expertus uoluit ponere fidelem Petrum ſuper hoc, & ex eo quod non potuit dominus facere Petrum eſſe ſemetipſum Chriſtum perſonaliter, eius miniſtrum principalem per auctoritatem & poteſtatem fecit. Chriſtus igitur poſuit hoc fundamentum Petrum loco ſui, Petrus autem ſuperædificauit eccleſias omnes, quod idem eſt dicere quod omnes eccleſiæ fundatæ ſunt ſuper Petrum, non quidem per Petrum ut ille homo, quia ſic nullam fundauit eccleſiam, neque per Petrum, ut Apoſtolus, quia ſic eccleſiam tantum Romanam ædificauit ſpecialiter, ſed per Petrum Chriſti Vicarium plenitudinem poteſtatis eius habentem. Apoſtoli cæteri ædificauerunt eccleſiam ſupra Petrum loco Chriſti exiſtentem, quoniam in uirtute ſibi à Petro collata ædificauerunt, qui ſolus habebat poteſtatem ædificandi eccleſias. Quid eſt enim Petrus niſi petra, & fundamentum ſolidiſsimum? Quid fundamentum niſi ædificii principium & caput? Igitur cum idem ſit Petrus & ædificii eccleſiæ caput, ergo ſuperior omnibus. Et quamuis multis in locis per uerba Chriſti uidentur qnod omnes alloquatur, & tribuat poteſtatem ſoluendi, & ligandi, hoc intelligitur, quod omnibus tribuit, ſed non eadem iuriſdictione, & modo, ſed omnibus per unum. ſ. Petrum. Claues igitur habet Petrus ſcientię, quę negantur ſcribis & phariſęis, cum dicitur Vhe uobis legis peritis, qui tuliſtis clauem ſcientię &c. habet clauē poteſtatis Luc. 11. Cum dixit Matt. 23. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribę & phariſęi. Videtur etiam manifeſtè quod Petrus erat electus ad pontificiam dignitatem per Chriſtum; & quamuis Petrus negauit Chriſtum, tamen Chriſtus non ademit claues regni cęlorū,

& in tali negatione, quid ait Chriſtus? nonne dixit ô Petre tu qui reuelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſequutus es, cui claues Regni cœlorum traditæ ſunt, tā cito adeoque grauiter lapſus decidiſti? Præterea Euangeliſtæ 5. Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 6. Scripſerunt nomina apoſtolorū uelut in catalogo illa recēſentes, qui omnes quamuis uarient in Apoſtolorum numeratione tamen Petrum primum ordine ponunt, alios nō eodem ordine, ideò quo ad Petri dignitatem ipſe fuit electus, & habitus dignus, quoniam non eſt credendum euangeliſtis ſuis arbitriis ipſum collocaſſe primum niſi à Chriſto ipſum fuiſſet cæteris præpoſitum. Nonnè interrogante domino Apoſtolos an & ipſi uellent abire, quod multi diſcipulorum retro abiiſſent, reſpondit Petrus ad quem ibimus? Præterea dicente domino & uos eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis ueniet, ait Petrus ei, domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Præterea Chriſto dicente, non facilè regnum cœlorum ingreſſuros, reſpondit Petrus, ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te quid ergo erit nobis? Præterea dum impleuiſſent diſcipuli ambas nauiculas piſcibus procidens Petrus ad genua Ieſus dixit. Exi à me domine quia homo peccator ſum. Præterea de noxa remittenda accedens Petrus ad eum dixit. Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Vnde ex his omnibus reſponſionibus, quoniam reſpondebat aliorum nomine habetur principalis dignitas Petri. Etiam Petri dignitas, & prærogatiua ex his quæ poſt reſurrectionem domini dicta aut facta ſunt comprobatur. Nonnè Act. 1. Petrus dixit, uiri fratres oportet impleri ſcripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per os ſanctorum? &c. & quod habetur de claudo ſanato ad ſpecioſam portam· Nonnè dixit etiam Petrus Act. 3. Principes populi & ſeniores audite ſi nos iudicamur in benefacto hominis infirmi? &c. Præterea Act. 4. Ipſe & non alius dixit Anania. Cur tentauit ſathanas cor tuum mentiri ſpiritui ſancto, & fraudare de precio agri? &c.

K Præ-

Præterea Act.5.ad Simonem Magum cupientem emere ſpiritum ſanctum pecunia dixit. Pecunia tua tecúm ſit in perditionem, quoniam donum Dei extimaſti pecunia poſsideri &c. Præterea cum Apoſtoli cæteri multa ſigna prodigiaq; palam æderent in populo, de nullo tamen id ſcriptura nominatim hactenus expreſſerat quàm de ſolo Petro, ſic.n. de illis ſcriptum fuit. Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. De Petro uerò traditum eſt conſequẽter, quod tam uiri, quàm mulieres in plateas infirmos exportabant, illicque in lectulis & grabbatis eos reponebãt, ut illac tranſeuntis Petri, uel umbra ſaltem adumbraret illorum quemque &c. Quod etiam ægri, & qui uexabantur à ſpiritibus immundis omnes ab eo ſanabantur. Ecce quantum hic diſcriminis inter Petrum, cæterosque ſcriptura facit, iſti per manuum impoſitionem ſanabant, Petrus uerò per ſuam ipſius umbram, illi confuſim & indiſtinctè, Petrus uerò ſolus,& nominatim,illi denique cum plures eſſent plurimos,ac Petrus ſeorſum quotquot ex uicinis urbibus ad eũ ſanandi cauſa confluxerant. Præterea Act.2.Dilucida fit Petri auctoritas ex uiſione cœlitus oſtenſa qua poſitus in mentis exceſſu uidit cœlum apertum atque inde uas quoddam uelut lintheum magnum quattuor initiis alligatum, ſubmitti è cœlo in terram in quo erant omnia quadrupedia terræ, beſtięque & reptilia,& uolatilia cœli,& facta eſt uox ad eum ſurge Petre,occide,& Manduca &c. Qua nimirum uiſione Petrus admonebatur eſſe gentium princeps, & eas debere incorporare Chriſto. Præterea Act.15. Ob ſubortam quæſtionem ſuper obſeruatione legalium habita fuit ſynodus, & in hoc Petrum ut princeps,& caput cæterorum ſuam ſententiam primus dixiſſe refertur. Paulum etiam Gal.1.poſt annos tres ueniſſe hyeroſolimam uiſendi gratia Petrũ oſtendit eius primatum. Quis iam non certo certius ex his tot locis partim ex Euangelio,partim ex actis Apoſtolorum depromptis intelligit Petrum fuiſſe principem & caput totius eccleſiæ? Neque enim illi Spiritus Sanctus hanc rem in ſcri-

pturis

pturis toties inculcaſſet tanquàm uariis inſinuaſſet modis, niſi uoluiſſet eandem à cunctis firmiſsimè credi. Geneologia autem eccleſiæ eſt deſcendens à Petro ad pręſentem Papam, & ſucceſsiuè ad futuros, aſcendens à pręſenti futuris uſque ad Petrum. In Concilio Generali in Hieruſalem Petrus fuit caput. Papatum. n. Petri non eſt, ut pontificatus Aaron reſtrictus in una tribu, in una natione, in una prouincia, in una mundi parte, ſed eſt in omni ſtatu, regione, ac in toto mundo. Vnde ipſi Petro cui ſuccedit Papa nō ſicut ſimplici epiſcopo data eſt particularis diœceſis, ſed ſicut generali Vicario Chriſti tota eccleſia ſtata eſt. Alii principes non ſunt Vicarii Dei expreſſe & explicitè per inſtitutionem expreſſam & explicitam, aliqui tamen Reges fuerunt inſtituti reuelatione diuina ſed ut Dei & Chriſti miniſtri. Quid eſt enim mittere hamum & cum eo accipere piſcem? niſi habere iuriſdictionem, cum per Hamum Anagogicè intelligatur iuriſdictio. Petrus ergo à Chriſto immediatè habuit poteſtatem, & dignitatem epiſcopalem, & ab ipſo eſt conſecratus epiſcopus, & dedit ei primatum, & ratio huius eſt, quia Dei perfecta ſunt opera. Vnde ſicut Deus in creatione homines perfectos fecit, ex quibus naturaliter propagatio procedere poſſet, ſic Deus Apoſtolos quos principia eccleſiæ in recreatione fecit, ita perficere debuit, ut per eos etiam eccleſia propagari poſsit. Sed ſine epiſcopo eccleſia non poterat proficere à quo ſolo omnia ſacramenta eccleſiaſtica poſſunt miniſtrari, ergo oportuit quod Chriſtus Pontifex recedens aliquem loco ſui epiſcopum faceret, ſed ſi aliquem fecit uериſimilius eſt de Petro, qui cæteris dignior fuit, ut dicit Chriſoſt. Si ergo poſt reſurrectionem domini Petrus conciones multas fecit, ſanauit infirmos, exprobauit impios, & alia loquutus eſt, ut uidemus, ergo habebat prærogatiuam & poteſtatem. De hac re non amplius eſt dubitandum. Præterea omnes hiſtoriæ ſanctorum patrum hoc confirmant aperto ore. Auguſtinus Ser. 124. ait Credendę erant Petro claues Regni cœlorum, credenda quoque erat ei populorum innumera

multitudo quæ eſſet ſuapte natura uitiis, paſsionibus culpis inuoluta ac peccatis, quia dixit tibi dedi claues Regni cœlorum, & quæ ſequuntur. In Sermone de Petro & Paulo quid ait tantus doctor? O mirabilis potentia & inæſtimabilis gratia Saluatoris. Quis plebeium piſcatorem facilè crederet principem, Regibus obſiſtere, Reges ſanctificare, Regnis omnibus modo ſæpe dicto imperare, mundum frenare legibus, Dęmones calcare ſub pedibus, iubere uirtutibus, cœlum hominibus aperire cum uellet, claudere cum placeret, immortale regnum conuerſis donare, negare peruerſis, merita mundi cognoſcere, culpas & crimina hominibus relaxare. O inæſtimabilis, ò immenſa poteſtas hominem in terra poſitum tenere cœlum, ecce ad nutum Petri diuini uerbi clauſtra pateſcunt, accepit .n. claues Regni cœlorum à Chriſto ut ſolutis uinculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. Idem in ſermone de Apoſt. Pet. & Paul. ait. Hic eſt Petrus in illa diſcipulorum ſchola præcipuus, ac primus, idoneus qui uerba uitæ ex Chriſti ore ſuſcipiens, interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor ſynagogæ, eccleſiæ reparator, & ideò ſolus inter Apoſtolos meruit audire. Amen dico tibi, quia tu es Petrus &c. Idem in lib. quæſt. Nou. & uet. teſt. quæſt. Certè ſanctus Ioannes caſtimoniæ fuit cuſtos, cõ diſcipulus autem eius ſanctus Petrus uxorem habuiſſe cognoſcitur, & primatum ut acciperet inter tot Apoſtolos, nõ ei obſtitit filiorum generatio, ergo Petrum prælatum in primatu omnibus Apoſtolis fuiſſe inſtitutum à Chriſto patet etiam S. Ioanni licet Ioan. uirgo & Petrus pater eſſet. Anacletus Can. 14. Dixit in nouo teſtamento. Poſt Chriſtum dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primò Pontificatus in eccleſia Chriſti datus eſt dicente domino ad eum. Tu es Petrus &c. Cyrillus Alexandrinus Patriarca. Sicut Chriſtus accepit à patre ſceptrum ſuper omnem poteſtatem & principatum, & ſuper omne quodcunque eſt, & ut omnia ei curuentur pleniſsimam poteſtatem, ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſsimè commiſit, ut etiam nulli alii

quàm

quàm Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum ſed ipſi ſoli dedit. Euſebius lib. 2. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, in ipſis Claudii temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ, probatiſsimam omnium Apoſtolorum, & Maximum fidei magnificentia & uirtutis merito, primorum principem Petrum ad urbem Romam uelut aduerſum humani generis communem perniciem, repugnaturum deducit, ducem quemdam, & Magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia gerere, & uirtutum caſtra ducere uel dictare. Iſte adueniens ex orientis partibus, ut cœleſtis quidam negociator mercimoniam diuini luminis, ſi quis uellet comparare, aduexit, & ſalutaris prædicationis uerbo primus in urbe Roma. Euangelii ſui clauibus, ianuam regni cœleſtis aperuit. Hieronymus in lib. de obitu ſeu ortu ſanctorum noui teſtamenti. Petrus in Chriſto eccleſiæ fundamentum cephas corporis Chriſti princeps & caput eſt. Hilarius lib. 6. de Trinitate. O miſeræ ſtultitiæ furor impius non intelligens beatæ ſenectutis fideique martyrem, & martyrem Petrum pro quo Chriſtus rogatus eſt ne fides eius intentione deficeret, qui iterata à ſe dilectionis in Deum, poſtulata profeſsione tentari adhuc tanquàm ambiguum & incertum tertia interrogatione ingemuit. Per id quoque à domino poſt tertiam tentationis purgationem infirmitatem, paſce oues meas ter meritus audire, qui in cunctorum Apoſtolorum ſilentio Dei filium, reuelatione patris intelligens, ultra humanæ infirmitatis modum ſupereminentem beatæ fidei ſuæ confeſsione locum promeruit. Ambroſius Ser. de pœnitentia Petri. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro, antequàm fleret lapſus eſt, poſteaquàm fleuit electus eſt, & qui ante lachrimas præuaricator extitit, poſt lachrimas paſtor aſſumptus eſt, & alios regẽdos accepit, qui prius ſeipſe non rexit. Quibus profectò uerbis teſtatur Petrum poſt lachrimas omnibus Chriſti ouibus præfectum fuiſſe paſtorem, & eas in ſui Regiminis curam accepiſſe. Gregorius in Regiſtro Epiſtola 32. Cun-

ctis inquit Euangelium ſcientibus liquet, quod uoce dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo totius eccleſiæ cura commiſſa eſt. Pręterea ſcribens ad Ioan. Conſtantinopolitanum ait, Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctę & uniuerſalis eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioan. quid aliud quàm ſingularium ſunt plebeium capita, & tamen ſub uno capite omnes ſunt membra eccleſiæ. Idem dicit uigintiquinque locis, & plus, confirmans cathedram & primatum Petri, & ideo hoc reperies quando ſcribit ad Venantium Epiſcopum Lunen. Ad Ruſticanum patricium, ad Baſilium, ad Secundinum, ad Ocilianum tribunum, ad Brunichildem Reginam Francorum, ad Leandrum Hiſpaniarum Epiſcopum. Ad Regem Viſigothorum, ad Innocentium epiſcopum Aphricanum, ad Quirinũ epiſcopum Liberniæ, ad Candidum præsbyterum Galliæ, ad Barbaram & Antoniam, ad Sauinellam, Ad Baſsium epiſcopum Ferman. Ad Eulogium Alexandrinum. In Priuilegio monaſterii ſueſsion. Ad Protaſium Epiſcopum, ad Martinum Diaconum, ad Theoſticam & Andriam, & ad Theodorum Medicum Conſtantinopolitanum. In quibus omnibus præfert Petrum principatu aliis apoſtolis. Origenes uerticem Apoſtolorum uocat ſuper initium Euangelii Ioannis. Athanaſius ait ſcribens Tiberio Pontifici quod uniuerſalis eccleſiæ curam ipſi commiſſa eſt à Ieſu Chriſto. Theophilus idem, idem Baſilius, Dionyſius iterum plerumque ſummũ, plerumque uerticalem appellat Petrum præceteris. Ioannes Chriſoſt. ſuper Act. Apoſtolorum. Petrus à filio ſuper omnes qui filii ſunt poteſtatem accepit non ut Moſes in gente ſua, ſed in uniuerſo orbe dicente domino, Paſce oues meas. Idem dicit. Iacobum ſedem Hieroſolimorum accepiſſe, Petrum totius orbis. Idem ait. Quattuor mirabiles imitatores fecit Deus, de piſcatore, primum eccleſiæ Paſtorem, de perſecutore, Doctorem gentium, & Magiſtrum, De publicano primum Euangeliſtam, & de latrone, primum cœlicolam. Magnus Leo. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, &

diuin

gratiç ita ordinatur auxilium ut firmitas, quç per Chriſtum Petro attribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Idem ad Anáſtium. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto ſinguli autem alter alterius membra, hæc connexio totius quidem corporis unitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam ſacerdotum quibus & ſi ſacerdotii ſit dignitas communis, nõ eſt tamen ordo çqualis, quoniam & inter beatiſsimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quçdam diſcretio poteſtatis, at cum omnium par electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præeminerct. Idem dicit. De toto mundo eligitur unus Petrus, qui & uniuerſarum gentium uocatione, & omnibus Apoſtolis, cunctisque eccleſiæ patribus præponatur, ut quamuis in populo Dei multi ſint ſacerdotes, multique paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter Regit & Chriſtus. Magnum eſt mirabile dilectiſsimi huic uiro conſortium, potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio, & ſiquid commune uoluit eſſe cæteris principibus, nunquàm niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negauit, & ſic per hos dicendum quod Petrus ordinatus eſt præ ceteris dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni cœlorum Ianitor conſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumque arbiter ponitur. Innocentius lib. de offic. Miſſæ cap. de primatu Rom. Pontif. ait omnibus autem Apoſtolis Chriſtus unum caput præpoſuit cui totius eccleſiç principatum, & ante paſsioné, circa paſsionem, & poſt paſsionem commiſit. Ante tu es Petrus, licet enim uniuerſis Apoſtolis dixerit quorum remiſeritis &c. principaliter Petro commiſit, cum dixit quodcunque ligaueris ſuper terram. Petrus ergo ligare poteſt cçteros, ſed ligari non poteſt à cæteris. Circa paſsionem autem cum dixiſſet de omnibus Simon ecce Sathanas expetiuit uos ut cribraretur ſicut triticum, ſingulariter tamen Petro ſubiunxit. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ad Petrum igitur tanquam ad Magiſtrum pertinet cæteros

teros confirmare cuius fides in nulla tentatione deficit. Fides autem apoſtolicæ ſedis ſupra firmam Petram, ſtabili ſoliditate fundata, nullis unquàm erroris ſordibus potuit inquinari, ſed abſque Ruga manens & macula pro neceſsitate temporis maculas deterſit errorum. Poſt paſsionem cum tertio requiſiſſet Petro Simon Ioãnis. Diligis me plus his? & ille tertio reſpõdiſſet, Tu ſcis domine quia amo te, tertio quoque præcepit Paſce oues meas, ſtatimque ſubiunxit ſequere me. Petrus autem ſecutus eſt Chriſtum non ſolum in genere martyrii, ſed etiam in ordine Magiſterii & reliqua. Leo ait. Ita dominus huius Muneris fundamentum ad omnium apoſtolorum officium pertinere uoluit, ut in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, & ab ipſo quaſi à quodam capite dona ſua uelut in corpus omne diffunderet, omnibus ergo datas claues ſed ordine ſuo primum quidem Petro, aliis uerò per Petrũ. Deus enim Chriſtum, Chriſtus Petrum, Petrus Apoſtolos, Apoſtoli alios. Quid.n. Bernardus lib.2. de conſideratione ad Eugenium de Petro ait? Age indagemus diligentius quis ſis quam geras pro tempore perſonam in eccleſia Dei, qui es ſacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarcha Abraam, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt, ſunt quidem & alii ianitores & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius quanto & differentius utrumque præceteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos tibi uniuerſi crediti, uni unus, nec modo ouium, ſed etiam paſtorum, tu unus omnium Paſtor. & alibi Papa eſt frater diligentium Deum, Dux chriſtianorum, amicus ſponſi & ſponſæ, paranimphus, de ordine plebeium Paſtor, magiſter inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum aduocatus, miſerorum ſpes, pupillorum tutor, iudex uiduarum, oculus cœcorum, lingua mutorum,

Bacu-

Baculus, ſertum, ultor ſcelerum, malorum metus, bonorum gloria, uirga potentium, Malleus tirannorum, Regum pater, Legum Moderator, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdos altiſsimus, Vicarius Ieſu Chriſti. Dicemus igitur quod quamuis omnia demandata fuerint cæteris Apoſtolis, ordine tamen quodam commiſſa principalius ſcilicet & plenius Petro; aliis uerò minus, ac per participationem cum Petro minores eſſent, uelut oues ſub Paſtore, & ſic intelliguntur uerba illa, uos eſtis lux mundi, euntes docete omnes gentes, & quorum remiſeritis, quoniam omnibus æquali menſura, non tamen æquali poteſtate, ſed ſoli Petro, cæteri enim Apoſtoli in epiſcopos à Chriſto gratuita (ut diximus) præuentione ordinati ſunt, licet ipſe Petrus dignitate anterior & primus fuerit, & omnes pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt pari ſcilicet quoad ordinem, & dignitatem epiſcopalem, impari uerò quoad iuriſdictionem & eccleſiæ gubernationem ac regimen. Cum ergo Chriſtus ſit Primum caput & principale, Petrus autem & pro tempore eius ſucceſſor dicetur caput minus principale quoad miniſteriale appellare poſſumus. Quod caput habuit abſolutam poteſtatem, & ſucceſſores, quoniã dixit Ero uobiſcum uſque ad conſumationem ſæculi, & dixit etiam Cœlum & terram tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt, quoniam non eſt ueriſimile quod Deus uoluiſſet eccleſiam ſuam dimittere ſine paſtore pòſt mortem Petri ut dicit Innoc. in c. ad Apoſtolicæ. in fin. de re Iudi. in 6. & alibi. Miſſos facio Pelagium, Nicolaum, & alios decretorum inſtitutores. Præterea Bedam, Rabbanum, Hugonem, Remigium, & Ricardum, qui omnes fatentur ſuper uno Petro fundatã eſſe eccleſiã, idq; à Chriſto inſtitutũ ut eius unitas oſtẽderetur. Paulus. 1. ad Corint. 6, ut plenitudinem exponeret penès eccleſiam & ſacerdotium translatum à Chriſto in Petrũ declaret, neſcitis, inquit, quoniã angelos iudicabitis, quanto magis ſæcularia. Quid Theophilactus, Cyrillus Alexãdrinus, lib. Theſaurorũ. Maximus

epiſtola quadam orientalib. populis. Ignatius Conſtantinopolitanus. Cyprianus lib.4. Epiſtolarū. Auguſtinus ad Paulinum. Socrates epiſcopus. Paulinus & Franciſcus? Quid Anſelmus, optatus & Lactantius? Quid Pontifices Clemēs, Anaſtaſius, Sixtus, & Iulius? Quid Martyres Sixtus, Anicius, Eleutherius, Sepherinus, Antherius, Fabianus, Sixtus ſecūdus, Marcellus & Melchiades? Quid Nicolaus, Paſchalis, Bonifacius & Conſtantinus Imperator? Quid Iuſtinianus, Valentinianus, Martianus Phoca, & Carolus? Quid concilia, Nicenum, Calcedonenſe, Conſtantinopolitanum, ſynodus octaua, ſexta, & Epheſina? Nonne omnes iſti expreſſe fatentur in Petro tanquam in petra & ſoliditate deuotionis eccleſiam eſſe fundatam? Dionyſius Areopagita appellat Petrū uerticem Apoſtolorum, fundamentum eccleſiæ, Paſtorem ouium, Agnorum Chriſti, & Paſtorem eccleſiæ. Ex omnibus igitur dictis concludendum eſt quod Chriſtus Redemptor noſter dedit purè & ſimpliciter poteſtatem Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Petro uerò tanquàm capiti, quoniam unum eligere uoluit inter duodecim ut capite conſtituto, ſchyſmatis tolleretur occaſio, & aliis tanquàm membris, & ideò tenendus eſt Petrus loco Dei principalis, & tanquàm caput & maior aliis Coapoſtolis in adminiſtratione prælatione atque iuriſdictione. Sicut Moſes & Aaron cum eſſent primi, & ſummi ſacerdotes, Moyſes tamen fuit maior quàm Aaron in adminiſtratione. Petrus igitur propter primatum geſsit perſonam eccleſiæ, ſicut quilibet epiſcopus in concilio gerit perſonam ſuæ eccleſiæ, & princeps ſui Regni, ſicut enim in deſerto dominico ſitiente populo aqua fluxit de petra, ita uniuerſo populo perfidiæ ariditate laſſanti de ore Petri fons ſalutiferæ confeſsionis emerſit. Cur quæſo Chriſtus ſurgens de ſynagoga introiuit in domum Simonis? non alia de cauſa niſi, quia relicta lege Moſaica ſeu ueteri introiuit in domum Petri dicti uel nuncupati Simonis, ut ipſi daret omnem poteſtatem tanquàm principi Apoſtolorum. Vnde rectè ſecundum Hieronymum Petrum

prin-

principem Apoſtolorum uocabimus. Fit enim feſtum cathedræ ſancti Petri, & cum ſola cathedra Moyſi cõceſſa fuit, & Petrus ſit Moyſi ſucceſſor rectè dicitur princeps. Nonnè in introitu miſſæ tota ecclesia in feſtiuitate cathedræ appellat Petrum principem, & non alii Apoſtoli cum dicunt, ſtatuit ei teſtamentum pacis, & principem fecit eum, ut ſit illi dignitas in æternum, ecce quod uniuerſalis eccleſia appellat ipſum principem. Quare tripliciter exaltatus eſt, & triplex de eo feſtum celebratur? Exaltatur in eccleſia militantium, in eccleſia malignantium, in eccleſia triumphantium. Nonnè propter feruentem amorem eius erga Chriſtum? nonne propter officium prælationis per uniuerſam terram quæ diffuſa eſt in Aſiam, Africam, & Europam? Nonnè propter beneficium, quia ipſe qui habet poteſtatem ligandi & ſoluendi liberat nos à tribus generibus peccatorum, quia in Deum, in proximum, & in nos peccamus? Nonnè propter debitum, qui. ſ. tripliciter pauit & paſcit nos. ſ. uerbo, exemplo, & temporali ſubſidio? Nonnè propter exemplum ut ſcilicet nullus deſperet etiam ſi tertio Chriſtum negaret? & denique nonne quia in fide & optimis moribus laudabiliter rexit eccleſiam? & diſsipando conuertit ad fidem plures? & propter priuilegium ſupra alios, quia fuit princeps omnium Apoſtolorum? Præterea quoque tempore paſsionis ſoli Petro dixit, Simon dormis? non potuiſti una hora uigilare mecum? quaſi dominus uoluiſſet oſtendere ipſum præ cæteris ex commiſſo ſibi officio debuiſſe uigilaſſe. Tollit deinde Petrus aurem, quare Petrus? quia ipſe eſt, qui accipit claues Regni cœlorum, ille enim condemnat, qui & abſoluit, quoniam ligandi atque ſoluendi idem adeptus eſt poteſtatem, tollit autem aurem male audientis, tollit autem gladio ſpirituali aurem interiorẽ malè intelligentis. Nec obſtat noſtris dictis reprehenſio de morte Chriſti, quia & cum firma fide ſtat carnalis affectio, quia dato quod Petrus crederet Chriſtum filium Dei, carnali tamen affectu optabat, ne moreretur. Vnde cum homo erat, humana aliquando ſa-

pere non inconuenit, & quamuis Papa aliquando humana ſapit non deſit eſſe caput ſed operari potiſſimum officium capitis. Dicimus igitur pro concluſione ueritatis catholicæ eccleſiam eſſe ædificatam ſuper Chriſto & Petro, Chriſto ut domino, Petro uelut eius Vicario, omnes doctores omnes martyres, & ſummi Pontifices non modo officio ſed omni uita & conuerſatione ſanctiſsimi confirmant Petrum eſſe hanc petram nempè uiſibilem, ſuper qua ædificata eſt eccleſia, igitur non malignis credendum eſt, ſed iſtis uiris, qui uiuis Spiritu Sancto pleni nobis ſuccum, & latentem in ſacra ſcriptura exhibuerunt ſpiritum, quiquè eorum doctrina uniuerſam irrigauerunt eccleſiam, ad quorum mentem ſacras literas interpretari debemus, & eis credere, unde iis uiris fide dignis omni exceptione maioribus credendum eſt pluſquàm arrogantibus hæreticis, & ſic dicamus Petrum conſtitutum fundamentum omnium fidelium, & totius eccleſiæ, & ſi adducuntur dubia ab aduerſariis & malignis hoc nihil ad propoſitum, quia ſoluuntur infinitæ difficultates aduerſariorum quando dicimus, ut ueritas euangelica uult quod aliqua ſunt dicta Petro pro ſe & ſingulariter, aliqua Petro ut primati totius eccleſiæ, aliqua uerò ut repræſentanti quemlibet in eccleſia futurum, & ſic deſtruuntur cauillationes aduerſariorum prædictis diſtinctionibus ueris & neceſſariis. Reiiciantur, ergo hæretici Ioannes Vuicleff. & Ioannes Hus à ſynodo Conſtantienſe damnati, qui dicebant non fuiſſe Petrum caput eccleſiæ ut ſucceſſoribus eius auctoritatem derogarent. Cum neceſſarium ſit in eccleſia Dei eſſe unum talem Vicarium, quia oportet ponere quod in eccleſia Dei ſit unus talis Vicarius, uel plures, uel nullus. Si plures hoc eſt inconueniens, quia hoc eſſet deſtructio Reipublicæ, quia quicquid fieret per unum poſſet deſtrui per reliquum, nec nullus poteſt eſſe, quia tunc eccleſia non haberet caput unum, quod ſecundum uitam præſentem conuerſaretur cum ea quod eſt contra unitatem eccleſiæ, ut dictum eſt, ergo ex ſufficienti di-

ti diuiſione datur unum, qui habet uim iam à ſolo Chriſto ſicut à conferente, & omnes poteſtates inferiores, quæ ſunt in eccleſia, & perſonæ in poteſtatibus ſunt inſtitutæ à Vicario generali Chriſti & ſucceſſore Petri.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De Corollariis ſubiecti Poteſtatis Papalis; Quæ ſunt Pontificatus ſucceſsio poſt Petrum in Romanos Pontifices, & eorum dignitas atque ſupra omnia Concilia ſuperioritas abſoluta.

Liber Quintus.

CVM ſuperius manifeſtum fecerimus auctoritatem Papalem datam fuiſſe à Chriſto Petro,& ſucceſſoribus, clarum hoc etiam erit talem auctoritatem eſſe de iure diuino, & non poſitiuo;& cum hoc iam uerè concluſum ſit, & luce meridiana clarius, non extra propoſitum erit, immò neceſſarium, ſi aliis auctoritatibus, & rationibus demonſtrabimus Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem Petri. Incipientes igitur dico,quod ſi eccleſia extincta eſſet in Petro, Apoſtolis & 72. diſcipulis non indigeremus ſucceſsione, ſed ſi eccleſia miniſterio ſenſibili durabit uſque ad conſumationem ſæculi, quomodo poſsibile eſt quod non habeat tantam ſucceſsionem,ordinationem, poteſtatem, & iuriſdictionem ſuam? Nonnè alios dedit Apoſtolos, alios prophetas, quoſdam Paſtores, & Doctores

ctores ad conſumationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, in uirum perfectum, in menſura ætatis plenitudinis Chriſti? Præterea dico quod habemus Cyprianum epiſtolarum lib. 3. Ad Antonianum de Cornelio Pontifice ſcribentem; habemus Hieronymum ad Damaſiũ Pontificem ſcribentem. Xiſtum epiſtola prima. Syritium ad Himerium, Marcellum Pontificem ad uniuerſos epiſcopos Antiochiæ, omnes enim iſti una uoce dicunt. Rogamus uos fratres ut non aliud doceatis ac ſentiatis quam quod à Beato Petro Apoſtolo, & reliquis Apoſtolis, ac patribus accepiſtis, ab illo enim primum inſtructi eſtis, ideò non oportet nos derelinquere primum patrem, & alios ſequi, ipſe enim eſt caput eccleſiæ cui dominus ait. Tu es Petrus, eius enim ſedes primum apud Antiochiam fuit, quæ poſtea iubente domino translata eſt Romam, cui adminiculante gratia diuina Pontifices uenturi poſſident. Ideò benedictus dominus Deus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanorum eccleſiam Beati Petri Apoſtolorum principis ſacerdotio dicunt. Idem dicit Euſebius Marcelli ſucceſſor, & Hieronymus liquido uult omnem eccleſiam eſſe ſubiectam Romanæ, & Ambroſius extra Romanam eccleſiam exiſtentes, arbitratur hæreditatis Petri incapaces. Et ſi aliquis ſuſpectũ habeat teſtimonium Romanorum Pontificum, nec acquieſcant auctoritati Cypriani & Hieronymi, quod Latini fuerint, legat etiam Græcos. Legat Cyrillum, qui ait. Vt membra moueamus in capite noſtro, in Apoſtolico Throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere quid credere, & quid tenere teneamur, ipſum uenerantes præ omnibus. Legat deinde Valentinianum ad Theodoſium Imperatorem, Valentinianum Iuniorem, & Martianum ad Leonem Pontificem. In epiſtola Gallæ Placidæ matris Theodoſii Iunioris ad Eliam pulcherrimam Auguſti filiam. Iuſtinianumque denique Imperatorem in Aut. de eccl. tit. in principio col. 9. omnis iſti fatentur & ſanciunt ſanctiſsimũ

ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum, beatiſsimum archiepiſcopū Conſtantinopoleos nouæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſedem ſenioris Romæ. Nonnè omnia concilia hoc idem approbant Papam eſſe ſucceſſorem Petri? Patres Chalcedonenſes Concilii Leonem præfuiſſe concilio ſicut membris caput. Idem Patres ſextæ ſynodi in ſermone proſphonetico ad Conſtantinum Imperatorem. Idem Florentina ſynodus, ita quod omnes diffiniuerunt ſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in uniuerſum orbem tenere primatum,& ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorē eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & uerum Vicarium Ieſu Chriſti totiuſque eccleſiæ caput,& omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi uniuerſalem eccleſiam à domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Sancta igitur Romana eccleſia euangelica uoce domini & Chriſti primatum obtinuit, uerbum enim illud quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa Romanam fundauit eccleſiam à qua omnes aliæ eccleſiæ Religiones dependent; & cum Spiritu ſancto inſpirante Sanctus Benedictus, & alii Sancti Religiones fundauerunt non tamen propterea à Deo immediatè, ſed ab eccleſia Romana approbante,& confirmante, & inſtituente, ipſos ordines,& priuilegia largiente. Ideò cum loquimur de ſupereminentia Romanæ eccleſiæ, hoc intelligitur reſpectu Petri, & ſucceſſoris ſui. Si enim Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfuiſſet Petrus, ſicut Romæ; quod de Romana dicimus eccleſia, diceremus de illa. Quam eccleſiam Romanam dicimus non habere maiorem poteſtatem quàm cęteræ eccleſiæ habeant ut eccleſia Romana eſt, ſed ut in ipſa ſedet Petri ſucceſſor,& Chriſti Vicarius, qui loco eius eſt, plenitudinem habet poteſtatis in terris; hinc licet Stephanus,& alii ſancti non fuerint in ſoliditate eccleſiæ Romanæ, fuerūt tamen in ſoliditate Petri cuius uices gerit Epiſcopus eccleſiæ

ſiæ Romanæ. ſola igitur Romana eccleſia eſt cuius poteſtas eſt ſupra Chriſtum fundamentum immediatum, & ab ipſo Chriſti verbo immediate fundata reſpectu Petri, cæteręve ro eccleſiæ & ſi ſint ſupra Chriſtum fundamentum cõſtructę, non tamē immediate, ſed mediante Petro, qui loco eius po ſitus eſt in fundamentum; Euangelica autem veritas eſt hæc Romana eccleſia per Petrum à Chriſto domino recipientem immediate auctoritatem, & plenitudinem poteſtatis accepit, nec propter hoc eccleſia Romana ſe eſſe primam dicit quia ædificatur ſupra illam petram, quia omnes ſicut ipſa ædificatæ ſunt ſupra ipſam, ſed in hoc gloriatur eſſe primam, quia petra illa ſupra quam & ipſa, & cęteræ ædificantur, eſt in ipſa ſpecialiter præſidens, & ſic nõ dicimus eccleſiam Romanam eſſe iure diuino Primam, niſi reſpectu Petri, qui iure diuino eſt ipſe primus, cuius eſt (cum ipſe plenitudinē habeat poteſtatis) alias eccleſias ordinare ſecundas, & tertias, ſecundum utilitatem credentium, ſicut etiam licet epiſcopos mutare de vna ſede ad aliam ſecundum utilitatē, & quã uis Cõſtantinus græcorum Imperator humano decreto ſuo ordinauit Romanum Pontificem eſſe omnibus aliis ſuperio rem, tamen ante ipſum hoc prius ordinauerat Chriſtus qui Petri ſui Vicarium inſtituerat, & eccleſiæ caput cuius ſucceſ ſor eſt Epiſcopus Ro. & ob hoc, fuit declaratio, uel manifeſta tio imperatoria iuris Diuini quia tamen eccleſia ſub Tyrãni co iugo gentilium adhuc erat, ideò Conſtantinus ipſam libe rauit, & uoluit Pontificem habere ſicut à Chriſto ſibi traditum fuerat. Dicamus igitur Pontificem Romanum iurediui no eſſe caput eccleſię, nec propter hoc reiicitur Chriſtus qui Caput eſt eccleſiæ Triumphantis & Militantis, nec propter hoc ſunt duo capita eodem modo ſe habētia in eccleſia, ſed unum tantum inuiſibile, & illud eſt Chriſtus, Petrus autem & ſi ſit caput uiſibile, hoc non eſt aliud caput ponere, ſed illudmet, cũ nõ dicamus Petrum eſſe caput, ut Petrus eſt, ideſt ille homo, ſed ut Vicarius Capitis Chriſti domini. Eo namq; modo eſt caput quo locumtenens regis eſt caput in Regno,

abſente Regi. Nec propter hoc negamus Chriſtum nobiſcũ eſſe uſque ad cõſumationem,& donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Nobiſcum.n. eſt ipſemet inuiſibilis & immortalis, ut ſupra aſſeruimus, & nobiſcum eſt mortalis, & uiſibilis in Vicario ſuo Petro & ſucceſſoribus. Nec moriente Papa eccleſia remanet ſine capite, ſed illudmet caput remanet in ſempiternum Chriſtus dominus, tantum remanet ſine capite mortali, & paſſibili, nouo autem electo Põtifice tradũtur ei claues ab ipſo domino, & ille efficitur caput loco Chriſti, & ſi dicatur Nemo debet uocari ad Pontificatum niſi uocetur à Deo tanquam Aaron, reſpondetur quod uocatur à deo Mentaliter per uota eligentium qui sũt dei, nec oportet quod diuina uox ſenſibiliter audiatur. Hæc enim ſunt quæ ſecundum ſanctam ueritatem ſacroſancta credit eccleſia. Ex his etiam perſpici poteſt quod de iure diuino nulla eccleſia ordinata eſt prima, nec ſecunda, ſed Chriſtus unicam tantum ordinauit eccleſiam catholicam benè ordinauit Vnum Apoſtolorum primum.ſ.Petrum, ex quo factum eſt conſequenter ut illa prima appellaretur in qua ſederet ille quem ipſe dominus primum ordinauerat, Petrus autem quamuis adminiſtrationem primo habuit in Antiochia ubi primò cathedram epiſcopalem poſuit, poſtmodum tamen uno tempore, & uno die ſimul cum beato Paulo in Vrbe Romana glorioſa morte ſub Cæſare Nerone Coronatus eſt, & pariter Romanam eccleſiam Chriſto domino conſecrauit, eamque omnibus uiribus in uniuerſo mũdo ſua præſentia, atque uenerando triumpho prætulerunt. Ideo Antherius Papa & Martyr Can. 1. ait Petrus ſanctus Magiſter noſter, & Princeps Apoſtolorum, de Antiochia (Vtilitatis gratia, translatus eſt Romanam, ut ibidem potius proficere poſſet. Vnde ſingulariter prima Apoſtoli Petri ſedes eſt Romana eccleſia non habens maculam, neque Rugam, & quamuis de neceſſario Papa nõ conatur reſidere potius Romæ, quàm alibi, tamen de congruo multum conueniẽs eſt ut Romæ Papa communiter reſidentiam ſuam faciat, cum

Romana Sedes habeat tres prærrogatiuas, primam Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum præſentiam, ſecundam ſingularem excellentiam, quia licet aliàs fuerit Magiſtra erroris, per prædicationem tamen Apoſtolorum facta fuit diſciplina ueritatis. Tertiam ſingularem conuenientiam. Propterea quod Petrus factus eſt epiſcopus Romanus iuſſum domini, quod etiam nunc credo fieri poſſe ut ſi Deus mandaret ut transferret ſedem ſuam, & omnia quæ ſunt ſedis ad eccleſiam colonienſem pro ſe & ſucceſſoribus, quod tunc colonienſis eccleſia foret ſuprema omnium, quia eccleſiam ſuam Chriſtus non ædificauit ſuper Romanam, ſed ſuper Petrum. Ideo Nicolaus Pontifex hoc ſic declarãs dicit Romanam eccleſiam eſſe ſuperiorem aliis quia Petro eius præſidenti Chriſtus filius dei uerbum patris dedit primatum ſuper tota eccleſia, at non ſic eccleſiæ aliæ hoc ius prætendere poſſunt dempta Antiochia quæ ad certum tempus hoc habuit priuilegium, ſed ceſsit Rom. eccleſiæ ut ait Marcellus Martyr. Omnes enim eccleſiæ patriarchales defecerunt, ſcilicet Conſtantinopolitana Hieroſolimitana, Alexandrina, & Antiochia præter Romanam, inconcuſsa ſemper manſit fides Catholica apud ſedem Romanam & recta ſalus & doctrinę Chriſtianę integritas. Defecit Achaia, ubi Andreas, Aſia ubi Ioannes, India ubi Thomas, Perſia ubi Symon & Iudas. Ethiopia ubi Mathæus, Hieroſolima ubi Iacobus, Grecia ubi Paulus, Pontus & Galatia ubi Petrus, Phrygia ubi Philippus prædicauerunt. Roma ſemper in fide accepta ſtabilis permanſit, nullus in ea unquam ſedit hæreſiarcha, adeo quod ſi non defuerint in ea præſidentes mali, attamen nullus Papa unquam in fide errauit diffinitiuè, neque in his inquam quæ ſunt iuris diffiniti uè promulgandi toti eccleſiæ licet in his quæ ſunt facti, ſic & tota fermè eccleſia quandoque erauiſſe potuit, & mirificum certè opus diuinum quod in M. D. 74. ann. præſiderunt ducenti & tot Pontifices Romæ, & à fide uera publicè deffiniendo nullus defecit hoc omnium aetatum ſancti-

ctisſimi exiſtimarunt uiri, non ob aliã cauſam eſt arbitror quàm quod ſuper petram firmata ſit eccleſia aduerſus quã nullę portæ inferi hæreticorum Neſtorii, Photii, Donati, Heluodii, Luderi, Huſſi & aliorum orientur, ſemper ipſa manebit incolumis. Quod eccleſia Romana nunquã errauerit & nunquam in fide ſit defectura habemus auctoritatem Cypriani, Franciſci Pici; Hieronymi, Agathonis Papę, Sixti Papæ, Gelaſii Papę, Nicolai, Leonis Magni, Bernardi & denique omnium ſacerdotum. Pontifici igitur Romano tanquam ſucceſſori Petri obediendum eſt. Quid enim ait Calixtus Papa & Martyr? Non decet inquit à Capite membra diſcedere, ſed iuxta ſcripturæ teſtimonium omnia membra caput ſequantur, nulli uerò dubium eſt, quod Apoſtolica eccleſia mater ſit omnium eccleſiarum à cuius regulis nullatenus conuenit deuiare. Idẽ Stephanus Papa & Martyr ait. Enimuero quia in Speculum, & exemplum Romana eccleſia cui nos præeſſe uoluit præpoſita eſt ab omnibus quicquid ſtatuit, ordinat, perpetuo quidem & irrefragabiliter obſeruandum eſt. Idem Damaſus Papa ſcribens omnibus epiſcopis. Idem Gratianus, Sãctus Iuo, Nicolaus Papa, Innocẽtius Papa Sãcto Auguſtino familiaris. Gelaſius Papa, Horſmida Papa. Beatus Gregorius. Itẽ Adrianus Papa etiam Reges anathematizauit quicunque ſedis apoſtolicę decreta uiolare non formidarẽt Idem Leo Tertius, hi omnes fatentur omnes debere obedire & ſtare decretis & ſcripturis ſanctorum patrum & eccleſiæ Romanæ. Decreta Romanorum Pontificum ab omnibus ſeruanda eſſe probatur per ſynodum Romanam. Sextam, atque Toletanam. Item per Bonifacium, Hieronymũ, Cyrillum, Auguſtinum, Hyamarum, atque Bernardum unde Vuicleffiſtica lues eſt decretales contemnere, & ſtudium eius annullare cuius articulus à conſtantienſe concilio condemnatus eſt. Obedientia enim potisſimum in tribus conſiſtit in Exhibitione Reuerentiæ, in mandatorum ſuſceptione, & ſubiectione iudicii. Vna eſt igitur eccleſia dei, una

ſponſa,

ſponſa, una columba, una perfecta, una formoſa, per uniuerſum terrarum orbem quæ ædificata eſt ſuper Petram immobilem, & ſpecialiter Romana eccleſia fundata eſt ſuper Petram quia Petrus ſuper promiſſa eſt ædificari eccleſia licet totius eccleſiæ fuerit paſtor, tamen ſingulariter ecclesiam Romanam in qua ſedit honorauit, & præceteris dominus per illum extulit uelut in Regno Regia Caput aliarum ciuitatum conſtituitur, quare priuilegia habet à deo Romana eccleſia, quæ alia non habet niſi perillam, quoniam aliæ eccleſię in tantum fundantur in petra in quãtum coniunguntur Romæ. Pontificem Romanum igitur eſſe ſupremum probatur per Damaſum, Innocentium, & concilium Aphricanum, hoc idem atteſtantur Liberius, Felix, Leo, Gelaſius, Anaſtaſius, Hilarius, Symmacus, Vigilius, Ioannes, Pelagius, & Gregorius. Sancta igitur Romana eccleſia, & Apoſtolica Sedes caput præponitur ad quam Maiores & difficiliores cauſæ omnium eccleſiarum definiendæ referantur, ſic omnia ueneranda concilia, ſic leges humanæ promulgant. Hæc arbitror quemlibet fidelem debere mouere niſi habeat marmoreum caput ſanctum Petrum proſe & ſucceſſoribus ſuis accepiſſe primatum à domino. Quid quæſo ait concilium Calcedonenſe? ait enim ſi quis epiſcopus prędicatur infamis liberam poteſtatem habet appellandi ad beatisſimum Epiſcopum Antiquę Romę quem habemus Petrum, petram refugii, & ipſi ſoli libera poteſtate loco dei ſit ius diſcernendi epiſcopi infamiam ſecundum claues ſibi à deo datas. Quid Concilium Syluestri, Marcelli, ſymmachi, & Horſmidę? Quid concilium Lateranenſe, Romanum, Lugdunenſe? omnes fatentur primatum Petri ergo ſucceſſionem eius omnes debent fateri. Si igitur tot concilia auctoritatibus tantorũ uirorum hoc confirmant, non eſt opus nec licet alicui fideli ut ait Gelaſius poſt tanti cõcilii diffinitionem hoc reuocare in dubiũ. Romana igitur eccleſia eſt Magiſtra fidei, ueritatis alumna, omnium errorum expers, unica & immaculata.

Non

Nonnè orat ſancta Mater eccleſia pro Romano Pontifice in die ſancto paraſceues dicens? Deus omnium fidelium Paſtor,& rector famulum tuum Gregoriũ quem Paſtorem eccleſiæ tuæ præeſſe uoluiſti &c. Ex conſecratione idem cum dicit. Huic famulo tuo Gregorio quem Apoſtolicæ ſedis præſulem & primatem omnium, qui in orbe terrarum ſunt ſacerdotum, & uniuerſalis eccleſiæ doctorem dediſti & infra. Tribues ei domine cathedram Pontificalem ad regendum eccleſiam tuam,& plebem, ſortis tuæ intra mundi limites uniuerſi. Idem ex coronatione eius confirmatur. Nam prior epiſcoporum Cardinalium tertiam dicit orationem. Deus qui Apoſtolum tuum Petrum inter cæteros Apoſtolos primatum tenere uoluiſti, eique uniuerſæ chriſtianitatis molem ſuper humeres eius impoſuiſti, reſpice quæſumus propitius hunc famulum tuum Gregorium quem de humili cathedra uolenter ſublimatum in Trhonum eiuſdem Apoſtolorum principis ſublimamus, ut ſicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita uirtutum meritis cumuletur. Quatenus eccleſiæ uniuerſitatis onus te adiuuante digne ferat, ſic Prior diaconorum dans ei pallium dicit. Accipe pallium ſanctũm plenitudinem pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei. In Natali die Sancti Petri canit de Petro ſancta eccleſia. Regem adoremus dominum, qui in cœlo & in terra primum. ſ. Petro donum dedit ius ligandi atque ſoluendi, ob hoc in ſacerrimo Canone Miſſæ, dum ſacerdos pro Dei eccleſia orat, in primis, quæ tibi offerrimus pro eccleſia tua ſancta catholica quam pacificare, cuſtodire, adiuuare,& regere digneris toto orbe terrarum, mox orat pro Papa uti uniuerſalis eccleſiæ Paſtore. Quoſcunque igitur in orbe terrarum, negantes Petrum eſſe à domino eccleſiæ caput conſtitutum loco tui, ipſumque plenitudinem poteſtatis ſolum accepiſſe, idipſumq; ſucceſſoribus eſſe conceſſum ii omnes uel infideles, uel hæretici ſunt iudicandi. Succeſſit ergo Petrus Chriſto,& quilibet alius Papa ſuccedet ſibi ut Vicarius eius in officio & poteſtate Papali, non in perſo-

na.

na,quaſivel propria ipſorum authoritate,& non miniſterio, uel poteſtate eccelentiæ, & pontificia inferiori, tam Petrus quàm ſucceſſores eius non ſunt ſic perſonaliter ſucceſſores Chriſti ſed dicuntur Vicarii, & miniſtri eius ipſo Chriſto ſemper uiuente, & ſemper in Papatu,& Pontificatu regnante;& ſic Paulus appellat Petrum, & alios ſucceſſores miniſtros, & Vicarios Chriſti dicens. 1. Cor. 3. Quid igitur eſt Apollo,quid uerò Paulus, quid autem Cephas, reſpondet ſtatim miniſtri eius cui crediditis. De neceſsitate igitur oportet intelligere poteſtatem Pontificiam non ſolum pro Petro, ſed etiam pro ſuccedentibus in eadem poteſtate,aliter oporteret quòd uel eccleſia mortuo Petro eſſet ſine tali Vicario,quod eſt inconueniens,uel quod de nouo Chriſtus per ſeipſum talem poteſtatem conferret,& perſonam determinatam de nouo reuelando determinaret, quod eſt manifeſtè falſum, ergo ſuccedentes aſſequuntur talem poteſtatē ex electione noua per antiquam collationem factam à Chriſto. Romanus ergo Pontifex uerè ſucceſſor Petri erit,& nō immerito à Xiſto primo, Victore,Pontiano, Stephano,Marcello, Euſebio, Silueſtro, & Felice ſecundo appellatus fuit uniuerſalis eccleſiæ epiſcopus. In Concilio Epheſino Zephe rinus,Calixtus,Fabianus & multi alii Papæ ſingulariter epiſcopos urbis Romæ ſe nominant. Reperio Damaſum,& Diuum Gregorium epiſtola tertia ſe inſcripſiſſe ſeruus ſeruorum Dei atque per gratiam eius epiſcopus Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ in urbe Roma. Eodem titulo ab aliis etiam Romani Pontifices ſe uniuerſalis eccleſiæ nominati fuerunt,& etiam à ſacris Conciliis. Quinetiam Imperatores Romanum Pontificem appellauerunt uniuerſalis eccleſiæ epiſcopum, ut legitur apud Conſtantinum ſextum in gratulatoria epiſtola ad occidentes epiſcopos. Vnde non amplius dubitandum, omnem auctoritatem in ſpiritualibus abſolutam & uniuerſalem datam fuiſſe à Chriſto Petro & ſucceſſoribus, & per conſequens Pontificem Romanū eſſe Petri ſucceſſorem,& merito eccleſiæ uniuerſalis epiſcopum & ſummum

mum Pontificem. Nam eccleſias Orientales ſubeſſe Papæ probatur auctoritate Oriẽtalium Athanaſii & Iulii & Orientales Epiſcopos fuiſſe ſub Romano Pontifice probatur ex Victore, Zepherino, Fabiano, Marcellino, Euſebio, Felice, Sixto, Gregorio, & Iuſtino Imperatore. Item orientales fuiſſe ſub Papa oſtenditur eorum Conciliis, Legati quoque Papæ in Concilio Niceno, Calcedonen. Carthaginenſi. 6. 7. 8. Epheſino, & Sardicenſi recenſentur, ſimiliter epiſcopi occidentes, Reges & imperatores & ſacra concilia obedientiam & Reuerentiam præſtiterunt Pontifici Romano tanquam ſucceſſori Petri, qui quidem Petrus poſt tranſmigrationem quieuit per ſeptenium in Antiochia, poſtea Romam uenit, neque ipſum mouit Imperium, Campidolium, ſuperba ædificia, fama oratorum, poetarum de quibus tunc Roma florebat, non maximi heroes regnantes, non victoriæ & triumphi de quibus abundabat, ſed ut medicaret infirmitatem ſuam. Ideò maximum donum fuit hoc ut haberes Petrum pro paſtore, quoniam ipſe purgauit tuos errores, expulſauit diabolos, eiecit artes magicas, prædicauit Euãgelium, Plantauit crucem, induxit te ad adorandum Chriſtum, ut euaderes ſchola Religionis, Magiſtra ueritatis, exemplum uirtutis, & de profana ſancta, de Impia Pia, & de Ciuitate diaboli Ciuitas dei. Hæc eſt Ciuitas Romana Regnum Regnorum, Reſpublica regum, Regnum ſacerdotale, ſacerdotium Regale, Regnum Cœleſte, Regnum Dei. Romana poteſtas dicitur Monarchia per poteſtatem, Ariſtocratia per conſilium, Democratia per riputationẽ. Nos igitur ut huic propoſito finem imponamus Auctoritatem Euangelicam ſequuti, ſacerrima concilia, ſanctorum Martyrum decreta, & pontificum eccleſiaſticorum ſententias, communem eccleſiæ uſum & traditionem concludimus. Romanam ſedẽ & Apoſtolicam ob diuinum priuilegium Petro traditum à Chriſto & eo iubente Romam translatum cui acceſſit loci dignitas ſęcularis in augmentum fidei ut pax ſeruaretur, & ob tot tormenta ſanctorum pręſulum quoniam plures quã

triginta

triginta propter fidem noſtram ſanctam martyrio fuerunt coronati, eſſe primam omnium dignitate cui & eius præſidenti cęteri pontifices omnes obedire debent, & ſubeſſe in his quæ ſunt fidei ad gloriam dei omnipotentis, & exaltatio nem ſancti nominis ſui, & fidei catholicæ.

Cum igitur ſatis ſufficienterque declaratum ſit Pontificē Romanum eſſe Petri ſucceſſorem, & habere abſolutam, & uniuerſalem principalem in ſpiritualibus auctoritatē, & per conſequens eſſe omnium Caput, ad propoſitum nunc erit oſtēdere ipſum eſſe maiorē & ſuperiorē generali Concilio, nec ſimpliciter loquendo a cōcilio deponi poſſe, nec ꝑ Auctoritatem maximam & amplisſimam quam habet poteſt Romanus Pontifex concilio ſe ſubmittere ab eo iudicandus quaſi ab auctoritate per ſe uel maiori, uel æquali. duobus dem ptis caſibus, nempe ſi non ſit legitimè electus, & ſi ſit hæreticus, in his poteſt deponi à generali concilio miſteriali ſua, de qua diximus, poteſtate, & poteſt citari ut auditis rationibus legitimè deponatur, in aliis uero caſibus cum nō faciāt ad eſſe Papam uerum, ſed ad eſſe bonum papam non habet, nec pot habere iudicē, uel eiuſmodi miniſterialem poteſtatem, ſic ualidam ſupra ſe, ſed iudicium in ſummum. Pontificem fore deo reſeruatum, quod etiam ſatis conſtat ex ſcripturis & deciſionibus patrum, & conciliorum, quoniam qui poteſt celebrata concilia damnare, & acta ſua, & decreta confirmare, & ambiguitates declarare, atque ſuper decretis cō ciliorum diſpenſare, & reuocare, & abolire, non poteſt ab aliis iudicari, nec aliis ſubmitti, ſed omnium iudex, & princeps, & caput eſt. Hoc ſummitur etiam ex diffinitione ipſius concilii. Eſt enim concilium uniuerſalis eccleſiæ congregatio maiorum prælatorum eccleſiæ auctoritate Romani Pontificis ſpetiali conuocata ad aliquid communi intentione ſolemniter tractandum in Religione Chriſtiana, Papa ipſo in concilio præſidente, uel aliquo loco ſui. Si ergo fit conciliū auctoritate Papæ, & ipſo præſidente ergo ſupra conclium, & princeps omnis iudicii. Quod autem neceſſe ſit habere à Ro

mano Pontifice, ſiue Apoſtolica ſede cõfirmationem decretorum factorum per concilia uniuerſalia, cum in uniuerſali concilio intelligatur eſſe auctoritas Papæ colligitur ex euidentia rationis & ex practica obſeruata ſacrorum conciliorum. ex ratione, quoniam lex non habet uigorem, & uirtutem coactiuam niſi ex principis auctoritate, aut auctoritate eius in quo principatus totius communitatis eſt collocatus, ſed Romanus Pontifex eſt talis, ergo neceſſario firmitas, robur, & auctoritas decretorum conciliorum dependet à Romano pontifice, ſiue à ſede apoſtolica approbante. Fundatur hoc ipſum in practica antiquorum conciliorum, Niceni & Calcedonenſis, in quibus patres conuenientes omnia diffinita & conſtituta per eos miſerunt ad Apoſtolicam ſedem rogantes illa per Romanum pontificem confirmari; ſicut.n. caput comprehendit partes, ſuperior uirtus comprehendit inferiores, & hierarchiæ ordinis uirtus in omnibus diffunditur, ſic Papa continet omnes epiſcopos, Archiepiſcopos præsbyteros, & alia membra eccleſiæ qui omnes non ſunt niſi ſolus Papa, ſicut omnes Rectores, officiales Regis ſimul conuenientes cum Rege non dicunt plus iuriſdictionis quam Rex ſolus, & ſicut ſanctus Thomas inquit quod omnes creaturæ, & deus conſideratæ ſimul non poſſunt plus bonitatis quàm Deus ſolus, ideo ſimiliter dicitur quod poteſtas Papæ non includitur in concilio ueluti pars in toto, ſed quod poteſtas concilii totius comprehenditur in eo quia poteſtas Papæ eſt tota poteſtas eccleſiæ uniuerſalis, & aliæ poteſtates ſunt participationes ipſius in partem ſollicitudinis datæ à quo dependent, & emanant ſicut omnium membrorum virtus continetur in capite, & omnium inferiorum poteſtas in principe. Nũquid uas potes dicere figulo, cur me ita finxiſti? ergo inferior non poteſt in ſuperiorem. Nonnè Nauis Petri figuratur per eccleſiã? & quis præeſt tali naui? niſi Petrus caput omniũ & ſuper oĩa. Nonnè Arca Noè ut diximus præfigurat eccleſiã? & qs conductor & fabricator Arcæ. Niſi Noè repreſentãs Chriſtum ergo ſuper Arcã & eccleſiã

&om-

& omnia eſt Pontifex Vicarius Chriſti, & ſucceſſor Petri. Nonnè legitur etiam in actib. c. xi. omnis generis animantia Petro oſtenſa tam immunda quàm munda, dictúmque fuit Petro occide & manduca? quod ſecūdum Alb. Magnū, aliosque doctores ſacros complures omnimodam Petri in toto orbe poteſtatis plenitudinem ſignificare videtur, & nihil in orbe reſtare quod in os eius non eſſet intraturus cuiusq; curam ipſe non eſſet habiturus ſi ergo ſoli Petro tam inſignis figura eſt præmonſtrata, ipſi tantum & non aliis plenaria iuriſdictio conceſſa uidetur & eſt ipſe igitur & ſucceſſores ſuper omnes alios ſunt & ſic ſupra concilium. Præterea Anacletus, Calixtus, Marcellus, Bonifacius, Silueſter, Iulius, Euſebius, Damaſius, Leo, Gelaſius, Gregorius, Innocentius, Adrianus, Nicolaus multiq; alii ne dicam omnes clariſsima uoce pronunciauerunt Pontificem nullum in terris habere iudicem, dempta ut dictum eſt hæreſi & illegitima eius electione modo ſæpius dicto. Qui. n. paſtorem facit infra concilium, & minorem quàm ſit, eundē profectò quātum in ſe eſt tollit, qui uerò paſtorem tollit, oues quoq; tollit, & qui has non relinquit, neque Paſtorem magnum ouiū relinquit Ieſum, & qui hunc negat totum myſterium æconomiæ Chriſti negat, non natus eſt Chriſtus, non paſſus, non reſurrexit, neque nos reſurgemus. o Maxima impieta s, uide quot errores inſurgunt concepti primum conſtantię, æditi poſtea Baſileæ, mox à fraterculis gigantum Ochaniſtis in ſinum atque in gremium tanquam à nutriciis excepti & nutriti, ſed omnes ſunt abiiciendi. Nonnè Concilium Nicenum congregatum in nomine Spirituſſancti ubi aderant 318. epiſcopi decreuit concilium præter auctoritatem Pontificis celebrari nō poſſe, & ipſum pontificem eſſe ſupra conciliū, & omnia quæ in eccleſia tractantur? Vnde ſi aliquando concilium uel Prouinciale, uel generale congregatum fuit abſque conſenſu pontificis propter importunitatem multorum nihil ualet. Cum ergo ſynodus Nicena ſtatuit immo ante eā Apoſtoli ut etiam Marcellus Papa affirmat in Epiſt. 1. ad

Antioch. ne citra auctoritatem Pontificis concilium haberi poſſit, nonnè ſtatuit & iudicauit Pontificem eſſe ſupra cõcilium? Nonnè per concilium Calcedonenſe Magni Leonis auctoritate & 600. epiſcoporum numero & conſenſu continetur Pontificem Romanum exharcam ſiue Principem eſſe uniuerſum Dioceſeom. 1. ſupra omnes dioceſes ac proinde ſupra concilium uniuerſorum epiſcoporum? Præterea in ſynoda Romana 284. Epiſcoporum habita in Thermis Traianis præſente Sanctisſimo Silueſtro Canon tertius eſt. Neque Præſul ſummus à quoquam iudicabitur, & Canon vigeſimus. Nemo diiudicat primam ſedem quia omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari, neque ab Auguſto, neq; ab omni clero, neque à regibus, neque à Populo iudex iudicabitur & ſubſcripſerunt 284. Epiſcopi & 40. Præſbyteri, & quinque Diaconi, & Auguſtus Conſtãtinus, & Mater eius Helena, & fixit canonem hunc Silueſter Epiſcopus vrbis Romæ & omnibus Epiſcopis aſperſit. Nonnè Nicolaus narrat de Marcellino Epiſcopo qui coactus erat à Paganis Thus incẽdere, unde collecto concilio, & ipſo citato à generali concilio & errore confeſſo, nullus ſententiã in eum proferre auſus eſt, immo dixerunt, Tuo ore iudica cauſam tuam non noſtro iudicio. Quoniam ex te (inquiũt) iuſtificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Quid? Cum Sixtus Pontifex de quibuſdam criminibus accuſaretur cõcilio ſuper his accuſationibus conuocato, cum Valentiniaus Auguſtus interſuiſſet decretum fuiſſe non licere aduerſus Pontificem pronuntiare ſententiam, ſurrexiſſeq; Imperatorem & eidẽ cõceſiſſe ſeipſum iudicare Nonnè accuſatio Papæ Symmachi dei iudicio reſeruata fuit ut dicit Nicolaus? ergo nullus de Pontifice poteſt iudicare demptis illis duobus ut ſupra, nec eum ſuperare. Ideò decretum Synodi Lateranenſis ſub Alexandro tertio eſt. In eccleſia inquit Romana aliquid ſpecialiter conſtituitur quia non poteſt ad ſuperiorem haberi recurſus. Præterea in ſynodo œcumenica Conſtantinopolitana Adriano 2. Pontifice dicitur ut ſi qua extiteret aliquã

do de eccleſia Romana controuerſia eatur ad ſedem Apoſto licam,& ea cum omni reuerentia conſulatur, ac ſententiam rogetur. Quid eſt ſupremam actoritatem in concilio habere ut ſynodus Romana Martini quinti contra Monothelitas Can.3.declarat, & Bonifacius Pontifex in Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem affirmat? niſi ſupra concilium eſſe? ſupremam.n.auctoritatem in eccleſia habere quod totidē uerbi iudicauit ac decreuit,nōnè eſt toti eccleſiæ præeſſe?quod ſucceſſoribus Petri omnis concedunt fideles.Sed quomodo præeſſe poteſt quis uniuerſæ eccleſiæ ſuper ipſum ædificatæ ſi eius auctoritas non ſit ſupra uniuerſam eccleſiam,ſequitur ergo concilium quod ſupra Papam iactant eſſe non conciliū ſed ſchiſma.Nonnè Athanaſius Alexandrinus ponit poteſtatem Papæ ſupra concilium? idem Baſilius ad habendum concilium aduerſus Arrianos petiit à Pontifice, ut congregaretur. Quid Chryſoſtomus, ait.n.ſic Petrus princeps Apoſtolorum cui totus orbis commiſſus eſt ergo concilium quæ eſt maxima & excellentisſima orbis pars, immò quod catholicam eccleſiam repreſentat, commiſſum eſt Petro, ac ſucceſſoribus eius, ſcilicet ut præſit non ut ſubſit,ut moderetur & iudicet,non ut iudicetur niſi ut diximus in duobus caſib. prædictis.Idem Hieronymus, Idem Cerillus Alexandrinus qui ait ſic.Debemus nos ut qui membra ſimus Capiti noſtro Pontifici Romano,& Apoſtolicæ ſedi adherere ad nos pertinet inde quid credendum,quid opinandum, quid tenēdum ſit quærere,cū ſolum ſit Pontificis arguere, corrigere,increpare,ratum facere, diſpore, ſoluere, & ligare.Idem Vincentius Lirinenſis, Idem Beatus Bernardus clareualenſis, qui omnes dicunt de Auctoritate Pontificis ſupra omnia mundi concilia.Præterea dico quod ſicut ſeraphin, & cherubin, uſque ad Angelos & Archangelos ſub uno Capite deo ordinantur, ita ſub uno ſummo Pontifice Primates uel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates,& præsbyteri. Ergo & horum cætus quod concilium appellamus ſub Pontifice tanquam ſub Capite eſt. Qui rectum igitur ſcripturam ſciūt

inter-

interpretari perſpicient per Concilium Nicenum,Sardicē-
ſe, Calcedonenſe,Quinque Romanas ſynodos,octauū Con
ſtantinopolitanum,Florentinum, ac etiam cōſtantienſem,
ac Baſilienſem Auctoritatem Pontificis eſſe ſupra cōcilium.
Et Quamuis pōtifices aliqui ut Hilarius papa,Eleutherius,
Leo 4. Concilii ſubſcriptionem requiſiuerunt, & adduxe-
runt in allegando concilia, hoc fecerunt non ad utilitatem
conſtitutionis, ſed ut facilius homines ad illius obſeruan-
tiam inducerentur tantorum virorum conſenſu approbante
quam ſi ſolius ſtatuentis fuiſſet auctoritate firmata. Dici e-
tiam poteſt Papam ex humilitate ſubſcriptionem illam re-
quiſiuiſſe non tamen per hoc aliis impoſita eſt ita faciendi
neceſsitas. Similiter quamuis Apoſtoli quattuor concilia fe
cerunt in quibus non perihibetur ſuperioritas Petri, dico
quod noluit Petrus in exordio omnia ſibi tribuere,ſed Apo
ſtolis & aliis communicare; ne eos in aliquo ſcandalizaret,
unde quod ex abundantiori cautela factum eſt ſuæ poteſta-
tis plenitudinem non habet lędere,& licet Petrus potuiſſet
ſolus multa facere, uoluit tamen ad maiorem ſui excuſatio-
nem aliorum etiam adhibere conſenſum, ne in incremento
fidei uideretur ſolus uelle eccleſiaſtica negocia per tractare.
Multa.n.licent quæ non expediunt ut inquit Apoſt. Clarū
igitur erit Romanum Pontificem eſſe ſupra conciliū. Quo-
modo erit Vicarius Chriſti prę ſentialis immediate ab eo cō
ſtitutus, ſi alteri quàm Chriſto ſubditus erit? Quomodo e-
rit pater omnium Chriſtianorum ſi dempta eius authorita-
te filiorum ſuorum mandatis parere tenebitur? Quomodo
doctor omnium fidelium, & ſynodo uniuerſali collegio di-
ſcipulorum ſuorum ueniat inferior? Quomodo deniq; ple-
nam à Chriſto poteſtatem acceperit, paſſendi, Regendi, &
gubernandi vniuerſalem eccleſiam, & quod concilium uni
uerſale eccleſiam repreſentans ſuperius ſit illo poteſtate re-
giminis & gubernationis? Tenendum eſt igitur Papam eſſe
ſupra concilium,& licèt patres in cōcilio exiſtentes concur-
rant cum Papa in decretando, ſiue in condendo canones

ſicut

ſicut de Apoſtolis cum Petro legitur, nihilominus Principatus decretandi, ſiue Auctoritas principalis competit Romano Pontifice ut potè qui princeps eſt totius Reipublicę Chriſtianæ. Similiter Aſsiſtentia qua ſpiritus ſanctus ſanctis congregationibus aſsiſtit inſpirando, & docendo quid Agendũ ſit, non abſtulit à Petro tunc, nec nunc ab eius ſucceſſoribus Romanis pontificibus ſuperioritatem, & præſidẽtiam ſuper ſynodũ, non unitatem eccleſiæ, non cõnexionem totius corporis eccleſiæ ad unum caput Chriſti Vicarium, quoniam talis inſpiratio data eſt ad intelligendam ueritatem, non ad arguendam ſuperioritatem, & ideò quamuis in qualibet congregatione in nomine Chriſti facta dicitur eſſe ſpiritum ſanctum, uerum eſt reſpectu dilectionis, non reſpectu poteſtatis ideò ſi concilia cõgregabuntur in nomine Chriſti, certè erit ſpiritus ſanctus reſpectu dilectionis, non tamen reſpectu poteſtatis niſi adſit Pontifex, uel ipſa confirmet et approbet. Sic etiam quando dicitur ſi peccauerit in te frater tuus dic eccleſiæ, hoc dictum fuerit Petro non propter hoc remouetur ſuperioritas Petri ne ſit caput, quoniam dicitur dic eccleſiæ intelligitur nòn concilio, nec uniuerſali eccleſiæ, ſed prælato ſicut omnis doctores exponunt & gloſant. Ideo talia uerba dixit Petro tanquam capiti. Et quamuis claues dicitur fuiſſe datas omnibus Apoſtolis & ſucceſſoribus, hoc uerum eſt, ſed Petro per ſe, & immediatè, aliis uerò Apoſtolis mediante Petro, & ſub Petro, & quando dicitur claues Petrum accepiſſe, hoc ſanctam eccleſiam ſignificare, dico quod ſignificat ſanctam eccleſiam quia data eſt ei poteſtas clauiũ ut ſignãti, & repreſentanti uniuerſos prælatos futuros in eccleſia dei manentes in unitate corporis Chriſti ſiue in ſocietate Petri modo unicuique debito obſeruato. Et ſi Anaſtaſius diſt. 19. dicit quod ubi de fide agitur Papa tenetur requirere concilium Epiſcoporum, quod intelligendum eſt quando caſus eſt ualde dubius & ſynodus cõuocari poterit, & tunc ſynodus maior eſt Papa, non quidem poteſtate iuriſdictionis, ſed Auctoritate diſcretiui iudicii & amplitudini

cognitio-

cognitionis,ut enim habetur ſcriptum Pars illa quæ iuſtiori ratione utitur maior dicitur, licet ſit minor ſcilicet alio reſpectu.Iam igitur Manifeſtum eſt Papam ſupra cõcilium eſſe,& ſi quærat aliquis An Papa teneatur obedire concilio uniuerſali in his quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis,dico in caſu quod uniuerſalis eccleſia pro ſchiſmate tollendo congregaretur non utique deberet procedere ad deponendum uerum & indubitatum habitum Rom. Pontificẽ & quem nullo iure conſtat à papatu cecidiſſe, ſed ad perſequendos eos perditos homines qui per noui idoli erectionẽ ſchiſma introducere in eccleſia tanta temeritate præſumũt. Similiter ſi debet reformari eccleſia vniuerſaliter in capite & membris, quod debet obedire generali concilio de honeſtate,non de neceſsitate cum in arbitrio ſuo ſit obedire necnè,& ſic quando imminenti neceſsitate reformationes eccleſiæ & actu exiſtente concilio, Papa nollet reformationem facere,non ſufficit ad depoſitionem Papę,cum talis negligentia aut mala uoluntas non deiiciat eum à ſuperiotitate poteſtatis, niſi iſta mala uoluntas talis eſſet quæ manifeſtè oriretur ex aliquo errore in fide catholica. Præterea dico quod ſi Papa uellet facere contra uniuerſalem ſtatum eccleſiæ quod in iſto caſu licet Papæ non ſit obediendum, ſed reſiſtendum humilitate & reuerentia, non tamen uenit propterea à concilio iudicandus, & hæc eſt opinio Hoſt.Innoc. & Archidiaconi. Ex ſuperius etiam dictis declaratur quod cum dicimus concilium generale uniuerſalem eccleſiam repreſentare accipiendum eſt de concilio integro ſiue plenario quod id dicitur eſſe ex decretis concilii Antiocheni & ex diſt.17.per totum in quo Auctoritate & aſſenſu Ro. Pontifex affuerit. Vnde ex his omnibus in hac materia hucuſq; dictis & approbatis dico quod ſi Romanus Pontifex non adeſt,uel ipſum concilium non confirmat, non repreſentat concilium eccleſiam, ideo concilia congregata abſque auctoritate Pontificis nihil ualent. Præterea concilia uniuerſalia exiſtente indubitato Pontifice non habent immediate

à Chriſto,

à Chriſto, ſed à Pontifice auctoritatem, cum ipſe Pontifex confirmet, approbet, & reformet quæ tractata ſunt in Conciliis. Et ſi dicatur quod etiam ſynodus legitur ſtatuere, diffinire, ſententiare & condemnare. Reſpondetur primo quod hoc legitur factũ quando Papa nõ fuit ꝑſonaliter conciliis uniuerſalibus præſens. Secũdò quod hoc facit ipſa ſynodus non auctoritate quam ĩmediate ſuſcipiat à Chriſto, ſed Auctoritate Rom. Pontificis ut dicit ſanctus Thomas cuius uerba in tractatu contra impugnantes Religionem ſunt quæ ſequuntur. Sancti Patres in concilio congregati nihil ſtatuere potuiſſent, niſi Auctoritate Ro. Pontificis interuenientis, ſine qua etiam concilium congregari non poteſt, hoc ſanctus Thomas ubi nota quod ſanctus iſte uult quod Auctoritas papæ non ſolum reſpiciat conuocationem Concilii, ſed quod patribus congregatis poteſtatem tribuit diffiniendi, & ſtatuendi, & ſic Papa habet ſimpliciter, poſt Chriſtum cuius Vicarius eſt, ſupremam poteſtatem in tota eccleſia, non tantũ reſpectu ſingulorum, ſed etiam reſpectu totius corporis eccleſiæ. Et ponere quod ſynodus vniuerſalis habeat ſupremã poteſtatem datam à Chriſto immediatè aliam à poteſtate ſuprema Rom. Pontif. eſt unitatem præfatæ eccleſiæ ſcindere, & ponere dualitatem ſupremarum poteſtatũ, niſi forſan una eſſet ſub alia, & ſic eſſet rumpere ordinem, & colligationem totius corporis eccleſiæ ſimpliciter, & perfectè ſumpti ab una ſuprema poteſtate Ducis & paſtoris totius multitudinis Chriſtianæ. Quo circa Beatus Cyprianus in Epiſtola ad Nouatianum loquens, ita ait: Quis ergo ſic ſceleratus & perfidus? quis ſic diſcordiæ furore ueſanus? ut aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere, unitatem dei, veſtem domini, eccleſiam Chriſti? Manet ipſe in Euangelio & docet dicens. Et erunt unus grex & vnus paſtor, & eſſe poſſe in uno loco aliquis exiſtimat aut multos paſtores, aut greges plures? Quicunque igitur ab unitate quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, ligandi & ſoluendi poteſtate priuatur. Auelle radium à ſolis corpore inquit Cyprianus in Epiſtola de unita

ſæ eccleſię, Diuiſionem vnitas non capit, ab arbore frange ramũ fructus germinare non poterit, à fonte præſcinde Riuũ preſciſſus areſcit, unde pro concluſione cuiuſcunque dubii & ueritatis catholicæ dicendum & tenendum eſt Papam eſſe ſupra concilium, & non teneri obedire concilio cum poſſit concilium ſic ſumptum multos errores contra fidem committere ſicut de ſynoda Epheſina ſecunda legitur, ſed tunc magis eſt obediendum diffinitioni Apoſtolicę ſedis, quàm diffinitioni cuiuſcunque ſynodalis congregationis, quoniã concilia non dederunt Auctoritatem Papæ. Nobis hucuſq; uidetur corollariis propoſitis ſatisfeciſſe, cum iam ſatis clare manifeſtauerimus non ſolum Petri ſucceſsionem in Romanos Pontifices, ſed etiam eiuſdem ſuperioritatem ſupra concilium, & quod propoſuimus atque denique definiuimus non ex mente noſtra hoc fecimus, nec ſcripturis gloſa res, uel peruerſis & retortis, atque fictis vel ſuſpectis auctoritatibus ut ſolent calumniatores & ſophiſti hoc confirmauimus, ſed propriis ſcripturę ſacræ auctoritatibus, & multis eiuſdem ſcripturæ figuris hoc comprobauimus. Taceo non ſolum latinorum ſed græcorum infinita teſtimonia qui fuerunt patres omni uita ſanctiſsimi & ab eccleſia ſemper approbati, taceo innumeras conciliorum determinationes quæ dilucidè ueritatem iam declaratam decidunt. Si tot & tanta habemus in fauorem iſtius ueritatis, cui credemus igitur? gloſis hæreticorum, vel potius expoſitionibus ſanctorum patrum? Inuentionibus malignorum uel conciliorum determinationibus? opinionibus falſorum Neotericorum, uel Antiquis & diuinis ſcripturis? Stultum eſt, & diabolicum contra rationem, contra auctoritatem, contra ſanctorum expoſitiones, & contra tandem tot conciliorum determinationes conſurgere, & loqui, & uelle omnia ex obſtinatione peruertere, & in dubium reuocare. Cõfundantur igitur omnes illi qui tot paralogiſmis, & cauillationibus tãquam canes cõtra præſcripta mordent, oblatrant, maledicunt, & conuitiantur, & catholica eccleſia confiteamur quod ſanctiſsimè à ſan

ctiſ-

ctisſimis patribus determinatum fuit, & à nobis ſuperius di lucidatum, quoniam hoc eſt dei uoluntatem exequi, ſuperiorum mandatis obedire, dei ordinationibus non contradicere, & uero capiti à Chriſto nobis in terris dato ut paſceret nos oues ſuas debitam exhibere Reuerentiam, & denique Poteſtatem quā illi dedit Chriſtus ſuper omnes alias poteſtates defendere & Ampliare ad honorem omnipotētis Dei & Religionis Chriſtianę exaltationem.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De Cauſa Finali Poteſtatis Papalis, Quæ eſt Paſcere oues ſuas.

Liber Sextus.

CVM de aliis partibus ipſius diffinitionis ab initio propoſitæ,ſatis ſuperq; dictum ſit, ſequitur pro cōplemento omnium partium quod de cauſa finali ad præſens ſermonem faciamus. In hac.n. cauſa finali tot & tanta continentur qđ eſt ĩcredibile dictu, hinc(ſicut dicitur) pendent leges & prophetę: in hac relucet tanquam in ſpeculo effectus exequutio, Doctrina,& exēplum totius Pontificiæ poteſtatis. Hinc Reipublicæ Chriſtianæ gubernatio, hinc principum Regula, & hinc deniq; totius gregis Dominici ſalus & pacis conſeruatio cum futura ſpe gloriæ ſempiternæ à Chriſto nobis promiſſæ.Ideò quę in hac cauſa finali ſub typo implicitè & ſub Epilogo continētur,per uim orationis,per claram explicationem, & tandem per ueram declarationem explicabo atq; dilucidabo ut quæ propoſuimus non ſint mutila,ſed perfecta, & declarata iuxta meritū materiæ ut decet ſcientificis, & doctrinę uiris. Videmus igitur incipiētes ad quē finē Data ſit talis Ptās Papalis à Xp̄o Petro & ſucceſſoribus,non certè ad alium finē niſi.

Vt

Vt Paſceret oues ſuas Cum multis in locis dixerit Chriſtus Paſce oues meas, tibi dico Petre, Paſce oues meas. Munus ergo ſummi pontificis eſt paſcere oues ſuas. Finis uerò paſtoris ueri eſt paſcere oues ſuas. Tota poteſtas capitis ſpiritualis eſt in paſcendo oues ſuas. Paſcere propriè eſt aperire oſtium, emittere & educere oues, uocare oues, uadere ante eas. Paſcere oues ſuas nil aliud eſt quam inſtituere leges ſpirituales in Republica Chriſtiana, ita quod quis ipſas ſeruauerit dicatur eſſe princeps bonorum ſpiritualium, dignus eſſe dicatur Regni cœleſtis, & beatitudinem æternam mæreri. Nonnè leges ſpirituales docent nos ſubleuare corpus per animam, ſenſum obedire rationi, hominē carnalem fieri ſpiritualem, carnem obedire ſpiritui, & denique hominem ſitire ſuam diſſolutionem, ut dicat cum Paulo: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto? ergo ſi has leges ſanctiſſimas, & à Chriſto datas Petro, & ſucceſſoribus habemus, nonnè ſummus pontifex paſcit oues ſuas ſi ipſas obſeruabimus? Nam paſcit oues ſuas ipſe cum inuitet nos ad diuina exercitia, ad ſacramenta, ad orationes, ad deuotiones, ad indulgentias, & ad alia infinita dona ſpiritualia, ut mediantibus his uitam beatā adipiſci poſſimus. Si ergo Pater noſter ſummus Pontifex totius eccleſię caput ſit largus in donis ſuis, & non deſiſtat quotidie paſcere nos oues ſuas uariis, & infinitis cibariis, debemus etiam nos ipſi obedire, ipſum ſanctificare, & leges ſuas exequi, atque mandata ſua ſeruare ut uitam æternam poſt mortem conſequi poſſimus. Qui aliter faciet, & ſentiet, in gehēnam mittetur, & infinitis cruciatibus anima ſua torquebitur pro pœna impęnitentię, & inobedientiæ ſuæ. Beatus igitur ille eſt qui ad magnum dei officium, & Apoſtolatus dignitatem à ſpiritu dei uocatus fuerit ſicut Aaron, & qui ingreſſus fuerit per oſtium quod eſt Chriſtus, & non aliunde in eccleſia aſcenderit, per feneſtram, per potentiam inordinatam, per fauores hominum, per ſiniſtrā practicam, peremptitias uoces, & ſymoniam; uel per impe-

rium

rium principum, quoniam hic non eſt Paſtor, nec Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum, ſed Lupus, Latro, & Vicarius Iudæ Scariotis & Simonis Samaritani. Quid eſt.n.paſcere oues? non domos Viduarum, pauperumq; comedere, non eſt imponere præter neceſſitatem ac rationabilem cauſam collectas & decimas, non decimare fruges, pecora, & pecunias & etiam quæuis minima quando non opus eſt, ſed opera Euangelii & legis, & Iuſtitiæ Chriſtianæ, iudicium, miſericordiã, & fidem docere, prædicare & exercere. Paſcere oues eſt non aliquem promouere ad ſacerdotia, ad beneficia & ad epiſcopatus, aut per turpe obſequium, aut intuitu munerum, aut fauore principum aut ui armorum, ſed ex virtutum meritis & ex vitæ ſanctitate. Nicolaus.n.quintus Pontifex tanta uirtute, tanta mãgnificentia, atque tanta denique liberalitate incomparabili prẹditus, & ornatus fuit, quod homines ingẽnio præſtãtes non ſolum nummis cogebat, ſed ufficiis, & beneficiis uiros doctiſſimos honorabat, & omnes ſtudio præcellentes, & magnarum artium diſciplinis eruditos, nunc ad publicas lectiones, nunc ad alicuius rei compoſitionem, & nunc ad græcorum traductionem inuitabat, adeò quod literæ grẹcæ, atq; latinæ, quæ per ſpatium ann. 600. ſepultæ, & & in tenebris occultæ fuerunt, tempore huius ueri Pontificis qui bonorum amator, & literatorum memor fuit ſplẽduerunt. Miſit etiam per totam Europam homines doctiſſimos ut illorum induſtria reperirentur libri qui propter maiorum negligentiam, & Barbarorum rapinas perierant, ſic bene paſcent Pontifices, & tales eſſe debent, & ex tali genere debet eſſe Cardinalium collegium, quoniam illud eſt tãquam collegium antiquorum ſacerdotum.i.ſeniorum qui cum Pontifice onus ſuſtinent ſicut 70. illi ſeniores cum Moyſe ſubſtinebant ab eodem Moyſe iuſſu dei delecti, & ſicut præsbyteri cum epiſcopo ſuſtinent. Paſcere oues non eſt concutere populos, uexare Regna, ſollicitare bella, Diruere eccleſiã quas Religioſorum patrum conſtruxit deuotio extruẽdo palatia, ſed Concordiam populorum, pacem Regnorum, & quietem

totius

totius mundi deſiderare, ac totum gregẽ Dominicũ, & Chriſtianam Rempublicam ab aduerſariis defendere. Paſcere igitur eſt gubernare, & Regere oues uerbis, exemplis, & aliis neceſſariis ad Regimen animarum, à cuius regimine nullus Chriſtianorum eſt exemptus qualicunque dignitate fulgeat, & gaudeat, quod utique fieri nequit ſine ſuperiore. Paſcere oues eſt docere, caſtigare, & proportionaliter Parcere, ſicut Chriſtus prædicauit in templo Turbis & alibi. Caſtigauit uenditores, Pepercit Magdalenæ, Adulteræ, Petro, Publicano, & Latroni. Nonnè quotidiè Summus Pontifex nos docet? ſcripturas interpretando, doctores conſtituendo, prædicatores, ſacerdotes, epiſcopos, & magiſtros populorum? non docet nos quando fidei dubia cum oportet declaret atque definiat? cum concilia conuocat pro cauſa neceſſaria? cum approbet libros, reprobet, infirmet, confirmat, atq; auctenticat? Docet nos canonizando, gloſando, declarando, explicando, gubernando atq; regulando. Docet denique nos donando nobis dona ſpiritualia, & accipiendo partim bonorum temporalium, recipiendo & exigendo decimas, atque primitias pro obediẽtia excelſæ poteſtatis. Caſtigat. n. conſtituens leges, & decreta generalia, caſtigat cum uitat quæ uitanda ſunt, cum minatur, cum terminet litigia, caſtigat procurans paces, trieguas, atque bella. Caſtigat admonendo, citando, iudicando, ſententiando, excommunicando atque maledicendo. Caſtigat priuando culpabiles, & expellendo, ut declarauimus Principes, & Reges ex dominiis. Caſtigat digradando, carcerando, occidendo, & denique caſtigat permittens peccatores in manus diaboli tãquã obſtinati incidi, omnia hæc fecerunt Apoſtoli. Sanctus. n. Petrus fecit quod ante pedes ſuos Anania & Saphira vxor eius mortui ceciderunt. Paulus pro liberando ſe nonnè loquutus eſt cum ſequela rumoris interSaduceos & phariſeos? Non petiit in auxilium ſuum Cæſarem? Non maledixit principem? Non dedit fornificatorem corinthum in manus diaboli? Parcit autem ſanctitas Papæ diſpẽſando in præceptis,

in conſi-

in conſiliis, in modo ſacramentorum, & in rebus ſacramentalibus. Parcit conſecrando, & indulgentias mittendo. Parcit donando omnes gratias ſpirituales cum quibus hæc ſacramenta ſedes ditat mundum, quæ ſpirituales gratiæ per connexionem membrorum huius corporis eccleſiaſtici, per charitatem quæ intro hac eccleſia uegetat, diffunduntur modo mirabili peccatoribus reſpectu Iuſtorum, & mortuis per uiuorum ſuffragium. Mitis ergo Paſtor noſter paſcit oues ſuas docendo abſque ſuperbia, caſtigando abſque crudelitate, & parcendo coniungens ſeueritatem cum clementia. Paſcere oues eſt eſſe mittis ad dandam Regibus pacem, Barbaris legem, Monaſteriis quietem, eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam. Paſcere oues eſt eſſe bonorum operum ſectatorem, & omnes ad fidem, ſanctitatem, honeſtatem, pudicitiam, amabilitatem, & bonam ſamam prouocare, & ut iuſtè, & piè uiuant docere, non in luxu omnium rerum, non in crapula, in Pompa, non in ſuperbia, & nō tyrannide, ſed charitatiue regere uerbo, exemplo, correctione, indulgentia, & oratione. Regere exemplo, nè ſubditis offendiculo ſint, imprimis caueant, nè aliquem ſcandelizēt paruulorum, uiduarum, & orphanorum, ac pupillorum cauſas agere paterne, Patrimonium Chriſti prudenter exponere, non ad Pompā nominis plus ſuperfluis impendendo, quàm pauperibus, quorum tam magnam curam habuerunt Apoſtoli, ut Paulo committerent Petrus, Iacobus, Ioannes, tantum ut pauperū memor eſſet. Paſcere oues eſt videre quando diſpenſat utrum ædificet an deſtruat, utrum ſit aliqua neceſſitas, & utilitas eccleſiæ, an non ſit. Paſcere oues, eſt filios eccleſiæ habere ſubiectos in timore, ſeruare in domino canones eccleſiaſticos, & facere eos ab omni eccleſia ſummo ſtudio ſeruari. Paſcere oues, eſt ordinare communitatem Chriſtianam ad impendendum deo cultum debitum, & ſibi acceptum, & per cōſequens uitæ æternæ meritorium, & ita Papa debet paſcere oues, ut ſi quæ non paſcerentur ab ipſo non eſſent oues, ſed ut uigilanti cura attenderet, ut benè recteque paſcerentur

ab omni-

ab omnibus, & quod deficientibus paſtoribus alios mitteret, & ordinaret. Paſcit ſemper Pontifex quamuis non exequetur intentum, quoniam quamuis uoluntas Pontificis eſſet armis compellere Turcas, & paſcerę oues, tamen niſi aſſẽtiunt Reges & Principes Chriſtiani non poteſt, comendauit poſtea dominus oues ſimpliciter loquendo non capras, non fœtidos hircos ſicut Turcas, & alias fœtidas nationes, Vnde non eſt dandum ſanctum canibus. ſ. obſtinatis, ac uerbo reſiſtentibus, ſicut Turcæ & hebręi faciunt. Corda autem infidelium, ſaracenorum, & hęreticorum non aufferunt diſpoſitionem, & ampliſſimam clauium poteſtatem, ſeu dominium, ſicut nec in naturalibus diſtantia auffert effectum ipſius ignis naturaliter agentis. Paſcere oues eſt diligere. Nonnè templum domini in Beatorum Petri, & Pauli honore conſtructũ in urbe oſtendit dilectionem? Nonnè paſcendo diligit hoſpitali ſancti Spiritus de urbe in quo tot pauperes recipiuntur, cæteriſq; exenodochiis inter catholicos conſtructis in quibus Egenis pauperibus, & infirmis neceſſaria adminiſtrãtur eleemoſinas procurare? Nonnè eſt diligere per indulgentias, per decimas captiuos Chriſtianos de manibus infideliũ redimere? Nonnè bellum in Turcas iniicere ſicut Pontifex Pius V. fecit eſt diligere? Nonnè paſcendo diligit Monaſteriis monialium, & Religioſorum, cæteriſq; Capellis, & eccleſiis ſubuenire, in reparationem & ornamentum miniſteriorum domini, & in ſubſtentationẽ eorum qui diuinis uacãt? Cum ergo dixit, Paſce oues meas, ſubiecit Petro & ſucceſſoribus omnes credentes in Chriſto, diligant igitur Paſtores, & paſcant, oues uerò obediant. Et ſi aliquis inſolẽs dicat ad Pontificem; Non amas, non paſcis, Reſpondet Pontifex, qui me paſtorem inſtituit, paſtoris tribuit auctoritatem, & uobis obedientiam impoſuit, nec tradidit poteſtatem ut in me inſurgeritis, ſed etiam ut me non paſcentem, & diligentem audiretis impoſuit, dicens, ſeruate & facite. Paſcere oues, eſt diuitias quas poſſidet non in eis ſpem ponere, ſed iuxta rationem vitæ apoſtolicæ ipſis uti (ut in eis diuinum præceptum

impleatur) ad uitæ ſuſtentationem, ad pauperum erogationem,& uirtutum operationem. Quoniam habere rerum proprietatem,& dominium, nō in proprium lucrum, ſed in aliorum utilitatis ſubſidium, non derogat perfectionis ſtatum. Nō igitur prohibetur pecunias,& diuitias,& imperia acquirere,& poſſidere, ſed propter Chriſtum præcipiuntur contēni, quod ſic intelligitur ut ita acquiras, & poſſideas, ut Chriſtum non ammittas, quod tunc facis cum iuſtè acquires, iuſtè poſſides, & charitatiuè exponis, cum ſic facis non ſunt terrena contemnenda ergo quæ quærimus ſi non obſunt cōtemnenda non ſunt, ſi autem prodeſſent ad Chriſtum acquirendum, & honorandum,& ad eccleſiam ampliandam quærenda eſſe. Paſcere oues, eſt quod quamdiu durat mundus quod ſit Doctor Pontifex in exhortatione diuinorum,& ſit ſacerdos & prælatus in ordinatione,& diſpoſitione ſubditorum,& ſit Rex in debellatione tyrannorum. Paſcere oues, eſt dignos recipere,& indignos excludere. Paſcere oues, eſt unumquemque in ſuo iure conſeruare, Religioſos, & alios Chriſti pauperes protegere,& ad eorum perfectionem conſeruatores dare, ſententiam damnationis contra ſymoniam proferre. Paſcere oues, eſt decimas diuerſis concedere pro euidenti utilitate eccleſiæ propter ſuſtentationem miniſtrorum eccleſiæ, propter ſacrificiorum oblationem, propter pauperum,& hoſpitum receptionem, propter eccleſias reparandas, pro pauperibus & peregrinis recipiendis. Paſcere oues, eſt tanquam exequutor officiorum aliquos ordinare loco apoſtolorum per quos Chriſti doctrina ſit teſtificanda, aliquos loco prophetarum per quos ſit exponenda, aliquos loco Euangeliſtarum per quos ſit ſcribenda,& declaranda, aliquos loco doctorū per quos ſit prædicanda, & aliquos loco paſtorū per quos ſit exequutioni mandanda, & in qualibet eccleſia cathedrali ordinare unum Theologum qui ſacerdotes & alios in ſacra pagina doceat. Paſcere oues, eſt omnia iura confirmare, condemnare, & relaxare quando opus eſt, & pro ua rietate rerum, locorum, & temporum regulas ſanctorum

ctorum patrũ temperari. Paſcere oues, eſt planetarios, ſortilegos, faſcinatores, maleficos, idolatras repellere, atque dãnare nè oues ſuas coinquinant, ſimiliter dęmonum inuocatores & couſultores, phitones, & diuinos. Paſcere oues, eſt denique Reges, Principes, & terrenam poteſtatem corrigere, & ĩcrepare ſi bona nõ fuerit, ita ut ſacerdotalis, & Regalis imperii omnia prout ipſum decet rectè atque ſanctisſimè gubernet. Paſcere oues, eſt pro charitate omnia tollerare, omnia credere, & omnia ſuſtinere. Tollerare ſicut Noè qui creſcente hominis iniquitate pronunciato ſibi diluuio ſtatim confugit ad lignum archæ ubi tollerauit cœli fremitum, aquarum ſonitus, & factus ſotius ſerpentum, ac ferarum non expauit, ut mergeretur, quia Chriſti charitate firmatus ligno crucis portabatur. Credere ſicut Abraham qui filio unigenito non pepercit credens firmiter filium ſuum immolandum, & filio dei reſurrecturum reſeruãdum, & eius ſemen per eũ poſtmodum multiplicandum, ſicut ſibi promiſſum fuerat.
Sperare ſicut in populo Iſraelitico vidimus, qui terram ei promiſsã firmiter ſperauit, & obtinuit. Suſtinere ſicut in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui mortem ſuſtinuit ut mortem uinceret. Vnde Papa gerens uicem omnium ſupradictorum Chriſti, Populi Iſraelitici, Abraham, & Noè ideò omnes illos gradus charitatis habere debet. Paſcere oues, eſt tanquam caput totius gregis Dominici cogere unumquemque ad reſidentiam, & ouium ſuarum paſturam iuxta determinationẽ omnium conciliorum, quoniam ſi ſunt paſtores igitur debẽt gregem ſuum paſcere, docere, & cuſtodire quod ſi plena uigilantia paſtura ſic ab omnibus religioſis obſeruabitur ceſſabit ambitio, diſſenſio conquieſcet, hæreſes, & ſchyſmata non emergent, locum non accipiet diabolus ſæuiendi, manebit unanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur, charitas ſpiritali feruore flagrabit, pax denique prædicata labiis cum uoluntate concordabit. Damaſus Papa in decretis ad hoc propoſitum ſic inquit. Bonus paſtor animam ſuã ponit pro ouibus ſuis, mercenarius autem uidit lupum uenientem, & dimittit

oues & fugit,nonnè epiſcopi qui talem negligentiam negli gunt meretricibus ſimiles ſunt,quæ ſtatim ut pariunt infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos ut ſuam citius libidinem explere ualeant, ſic & iſti infantes ſuos. i. populos ſibi commiſſos,aliis educandos tradunt ut ſuas libidines expleāt.i.pro ſuo libitu ſecularibus curis inhient, & quod unicuique uiſum fuerit liberius agant.Pro talibus. n. animæ negliguntur, oues pereunt,morbi creſcunt,hæreſes & ſchyſmata prodeunt, eccleſiæ deſtruuntur, ſacerdotes uiciantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter dominus docuit, nec apoſtoli inſtituerunt,ſed ipſi qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant,& ipſi proprios manipulos domino repreſentent. Nam ipſe ouem perditam diligenter quæſiuit, ipſe inuenit, ipſe propriis humeris reportauit, nosq; id ipſum facere perdocuit. Si ipſe pro ouibus tantam curam habuit quid nos miſeri dicturi ſummus? qui etiam pro ouibus nobis cōmiſſis curā impedire negligimus,& aliis eas educandas tradimus? Corrigantur hæc(fratres) neceſſe eſt, quia qui plus laborat maiorem mercedem accipiet. Tertiò audiunt quid Beatus Iacob qui pro uxoribus diu ſeruierat dixerit ſocero ſuo. Viginti annis fui tecum,oues tuæ & capræ ſteriles non fuerūt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam, & quid furto perierat à me exigebas, die noctuq; æſtu urgebar, & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis. Si ergo ſic laborat & uigilat qui paſcit oues Laban, quanto labori,quantisq; vigiliis debet intendere qui paſcet oues dei? ſed in his omnibus nos ipſe inſtruat qui pro ſuis ouibus dedit animam. Paſcere oues, eſt prouidere ouibus de Paſtura ſi non habent, ſic in primitiua eccleſia paſſim mittebantur diſcipuli ab Apoſtolis ac sūmis Pontificibus. Sic Dionyſius miſſus ad Gallias, ſic Beatus Gregorius Auguſtinum ad Anglos conuertendos miſit, & Gregor. x1. Bonifacium per Germaniam miſit, ſic alii alios miſerunt. Qui igitur ſic paſcent gregem Dominicum ueri paſtores dicentur, & ueri Vicarii Ieſu Chriſti, & ſucceſſores

ceſſores Petri imitantes prophetæ Ezechielis 34. dictum. Sic apud prophetam illum loquitur Deus, Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu ipſorum, & ceſſare illos faciam, ne ultra paſcant gregem, ego ipſe requiram oues meas, & uiſitabo eas, & educam eas ex omnibus populis in quibus congregatæ erant, & reducam eas in terram ſuam. Ego paſcam eas, & eccubare faciam. Quod perierat requiram, & quod obiectum erat reducam, & quod confractum erat alligabo, & quod infirmum erat conſolidabo, & quod pingue erat cuſtodiã, & paſcam illos in iudicio, & hæc ſunt quæ promiſit deus ſe pro ſalute gregis facturum, & quæ per Chriſtum dum in terris uerſaretur effecit, & quæ Vicarius ſuus ſucceſſor Petri facere debet. Nonnè habemus Sixtum quartum, Nicolaum quintum, Alexandrum quintum. Innocentium quintum, Ioannem vigeſimum ſecũdum, Piũ ſecundum, Bonifacium quintum, Honorium primum, Theòdorum primum, Martinum primum, Agathonem, Leonem ſecundum, & tertium, Benedictum primum, & ſecundum, Gregorium ſecundum, & tertium, Stephanum ſecundum, & tertium, Eugenium ſecundum, Nicolaum primum, Adrianũ ſecundum, omnes iſti Pontifices plenisſimè verbum Chriſti proſequuti ſunt paſcendo oues ſuas, & fuerunt doctores celeberrimi ſcripſerunt de officio Miſſę, de Sacramentis, de Cõditione Miſerię humanæ, Orationes ad Populum habuerunt & Orationem exhortatoriam contra Turcas ad omnes fideles in conuentu Mantuano, clerum renouauerunt cum opus fuit, leproſos propter uitæ ſanctitatem obuiam factis oſculo ſanauerunt, & curauerunt, Monothelitarum errores extirparunt, fuerunt gręca atq; latina lingua eruditi, mentem diuinæ ſcripturæ callentes, ut nèmo tam diſertior prædicatione, atq; interpretatione rerum occultarum admirabilium haberetur, orthodoxæ fidei defenſores ita acerrimi, ut ob eam rẽ maximorum principum graues ſimultates, & inimicitias ſuſceperunt, comendauerunt charitatem in pauperes, captiuos, uiduas, & pupillos, fuerũt reſtitutores eccleſiarũ, Chri

ſtianæ

ſtianæ doctrinæ diligentes prędicatores & ſcriptores, patres pauperum, pupillorum & uiduarum defenſores, delinquentes caſtigantes, errantes in uiam rectam deduxerunt, ignaros docentes, tam ſanctæ uitę, & boni paſtores fuerunt, ut multi noctu cũ duobus, aut tribus familiaribus cubicula pauperum, ægrotantium circuirent, unumquemq; eorum & uerbis, & eleemoſynis ad recuperandam ualetudinem cohortantes, carceres adientes, & pleroſq; dimittebant, pupillos, & uiduas tuebantur, & eleemoſynis ſuſtentabant, Fuerunt caſti, integri, Pudici, Facundi, doctorum uirorum amatores, deſperatos conſolantes. Si igitur iſti fuerunt optimi, & ſancti paſtores uerè paſcentes oues ſuas, Taceant Petrus de vinei contra Innocen. 3. & Honorium, Guillermus ocham cõtra Ioan. 22. Cuſanus & Ioannes Antiochenus contra Eugenium 4. Hampurgius contra Pium 2. Iacobus Almain, & Philippus Decius contra Iulium 2. & alii ſcribentes contra Pontificẽ, quoniã ſunt filii diaboli, & extra eccleſiam reprobati. Quicquid in buccam aduerſariis ueniunt ſtatim ſine omni pudore, ſine recto rationis libramine proferunt, & quæ dicunt iſti ſunt numeris Platonis obſcuria, Tanta ſunt hæreticorum maledica uerba ut Chriſtianus uix piis auribus, vix ſine gemitu legere posſit. Taceant etiam hæreticos anathematizatos ſequentes. ſ. Nicolaum, Baſilidem, Cherintum, Martionem, Valentinianum, Hermogenem, Manetem, Paulum Samozatenum, Arrium, Nouatianum, Donatum, Iouinianum, Heluidium, Ebionem, Fotinianum, Eunomium, Sabellium, Macedonium, Apollinarem, Bonifacium, Priſtinum, Luciferum, Pelagium, Neſtorium, Euthicem, Dioſcorum, Petrum Mongium, Petrum Antiochenum, Sergium, Pyrrhum, Titum, Nicephorum, Photium, Abelardum, Marſilium de Padua, Valdenſes, Pauperes de Lugduno, Ioannẽ Vuicleff. Ioãnem Hus, & quot à ſancta dei eccleſia ſunt condẽnati. Quid plura de hac cauſa finali dicemus, & dici poterit? Vnũ remanet neceſſarium in omni urgente necesſitate, & occaſione eccleſię Romanę, & maximè in his ad præſens calamitatib.

atque

atq; miſeriis Reipublicæ Chriſtianæ. Quid quæſo eſt iſtud? Dico quod tandem Paſcere oues, eſt ſummum Pontificem quando opus eſt tanquam Dei Miniſtrum, & Ieſu Chriſti Vicarium reaſſumere gladium temporalem per potentiam, vt declarauimus abſolutam quam ei dedit Chriſtus, & conuocare Principes, & rationibus potētisſimis, admonitionibuſque fraternalibus adhortari, & ipſos ſollicitare ad deſtructionem aduerſariorum fidei Chriſtianæ, excommunicando inobedientes, & repugnantes optimæ Pontificis uoluntati. Sic faciens Pontifex conſeruat potentiam ſuam quam Chriſtus iuxta uerbum ſuum promiſit in perpetuum defendere, & ampliare, & inobedientes uel Morte ſemper puniet, uel ad ecclesiam Romanam conuertet Deus Opt. Max. Pontifex qui hoc modo deſtruit religionis deriſores, & infideles, atq; hæreticos, uerè eccleſiam dei paſcit, & tenebitur tanquam alter Alexander contra Darium, Temiſtocles contra Xerſem, Giuda Machabeus contra Antiochum, & tandem tanquam uerus fidei Chriſtianæ renouator. Vnde paſcere omninò & perfectè gregem Dominicum tanquam oues ſuas, eſt uti nō ſolum gladio ſpirituali, ſed temporali; quoniā Deus in hoc caſu propter infinitam ſuam miſericordiā erit ſicut ſemper fuit ſanctæ catholicæ atque Rom. eccleſiæ propitius atq; fauorabilis, & dabit contra inimicos uictoriam cum reintegratione Chriſtianitatis, prouinciarum ſuarum. ſ. atq; Regnorū & quod plus eſt paſcendo ſic oues exaltabitur Chriſti eccleſia cum amplitudine gloriæ, & cum immortali triumpho crudelisſimorum Tyrannorum, & hæreticorum, nō derrogat. n. beatitudini Pontificis, nec dignitati Pontificatus ſi cauſa charitatis, & urgenti necesſitate maximè eccleſiaſtica ad cōſeruationem ſpiritualium, ad correctionem uitiorum, ad punitionem maleficiorum ac manutentionem pacis & iuſtitiæ in populo Chriſtiano, & libertatis Chriſtianę, ob dilatationem eiuſdem quandoque non ſolum ſe negociis ſęcularibus intromittere, ſed etiam ſubire arma & uſque ad ſanguinem contra hoſtes, & rebelles ubi Principes tēporales nollēt præ

ſtare

ſtare præſidiũ, militari, & dimicari ſuo loco, & tempore exẽplo prædeceſſoris ſui Beati Petri Apoſtoli, qui cum uidiſſet tempore pasſionis Chriſtum pati, ad arma materialia confugiens, & ad gladios propria manu Malco auriculam amputauit nimio zelo incenſus, uidens quod nullus principum iuuaret Chriſtum, immò erant contra eum iuxta illud Pſal. 2. Principes populorum congregati ſunt, & conuenerunt in unum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius, unde ueriſimiliter uidetur quod ſi Petro comparuiſſet tũc aliquẽ principum & potentem eidem auxiliari non accesſiſſet perſonaliter, & Chriſtus dixit Apoſt. Qui non habet gladium vẽdat tunicam ſuam & emat, ad inſinuandum nobis ſolum qđ ecclesia Apoſt. & caput quandoque gladiis & ferro tueri, & præmuniri debet. O Diuina, & tremenda poteſtas, ſi Pontifex poteſt utroque gladio uti, quid igitur facere debẽt Principes? Dico quod debent cum ſumma Reuerentia Romanæ eccleſiæ obedire, & ius ab antiquo ſibi conceſſum à ſummis Pontificibus conſeruare, & non inobedientia ſua ipſum ſam mittere. Nonnè legitis quod Hiſpania cum ab obediẽtia ſedis Apoſtolicæ defecit data fuit in captiuitatem Saracenorum? Iudæi cum Dei cultum neglexerunt ab Idololatris oppugnati ſunt, fuſi, & uicti? Quare Reſpublica Veneta quamuis paſſa ſit multas tribulationes ſemper floruit, & adhuc uirgo conſeruatur intacta? niſi quia ſemper defendit eccleſiã, & Pontifices Romanos. Veneti ſemper quando opus fuit Põtificibus auxilium dederunt, ipſos deiectos, & profugos charitatiuè receperunt, maxima Reuerentia honorauerunt, & incredibili triumpho in ſedem repoſuerunt, cum omniũ.n. ſatisfactione exemplo, & ſine populorum ſcandalo diuina celebrant, vtuntur non ſumma iuſtitia, non ſumma pietate, ſed miſcent pietatem cum iuſtitia, & iuſtitiam cum pietate & ſi poſt hac hac mente perſeuerabunt libertatem ſuam timentes Deum conſeruabunt in perpetuum. Obedire igitur debent Principes ſummo Pontifici, & à ſe expellere omnes illos qui hiſtorias deprauant, & ſanctorum dicta torquent.

Quid parit Principi Chriſtiano fouere hæreticis? niſi Religionis detrimentum, ſeditionem, & omnis pacis atque trã quilitatis vaſtitatem. In malo principe languet eccleſia pluſquam in malo Pontifice qui facilius deſtituitur, ſed ſummi Pontifices boni, bonos nacti Principes hæreſes facilè extirpare. Debent igitur extirpari à principibus qui caput contra eccleſiam inſurgunt, nec ullo pacto debent excuſari, ſicut nec excuſantur quęcunque crudelia facinora per ætatẽ facta, non lapſus Adę, non fatricidum Cain, non Adulteriũ Lamech, non totius mundi iniquitas diluuio abſorpta præter Noè. Perſequantur omnino ab omnibus quoniam ſunt ad malum proni, & ad detrahendum parati, & procliues. Nõ uidetis quod ſuggerit Cacodemon ut caput eccleſiæ debilitet, odia paſtoris gignat, rebellionem in ſubditis pariat, obedientiam ſubtrahat, & unitatem eccleſiæ diuidat, ut ſic fracto & imminuto eccleſiæ Regno diabolicum ſuum Regimen dilatetur & firmetur? Quando neſciunt quid dicere loquũtur de Abuſibus, dico vobis quod ſi aliqui abuſus Romæ criminari pergunt, ſcimus quia nec dum Romæ confuſio eſt, ſed & in toto orbe terrarum, cum totus mundus in maligno poſitus ſit, nam & ſœcularium principum aulæ ſuas patiuntur Harpias, Canipolas, Eraſtatores, ac Harpagatores, ſed nec vllus locus reperitur in quo nõ leopardi habitãt cum Agnis, lupi cum ouibus, columbi cum ſerpentibus. Non ergo negarim plura perperam agi à plerisque curialium officiariis, ſed plures ſunt ægregiæ eruditionis, & integerrimæ vitæ Romæ quibus iſta diſplicent, liberum ergo ſcriptoribus calamum in uitia acuire modo id cum ſale fiat, non cum furia, cum fructu, non cum deſtructione, ex amore, non ex inuidia, aut maledicentiæ morbo, ut contumelia careat obiurgatio. Si igitur hæretici cornua erigunt contra eccleſiam, & ſummum Pontificem, non debent à principibus auſcultari, ſed niſi eos pœniteat de libro uiuẽtium deleri, quoniam ueluti tabifica lues, & peſtilens inficiunt eccleſiam, & populos principum ſubuertentes obedientiam eorum remouent. Taceant

igitur qui contra abuſus & pontifices quotidie clamant, & ſcribunt, contra ſeipſos ſcribant tanquam ſanctæ Rom.ecclesiæ inobedientes & rebelles. Præterea principes debent pro conſeruatione etiam iurium ſuorum & iuriſdictionum unanimiter contra Turcam, Tyrannos, infideles, & hæreticos continuò dimicari. Nonnè habetis ante oculos ruinas, miſerias atque calamitates propter diſſenſiones Chriſtianorum ortas? Iuxta illud omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Vbi nam ſunt Epiſcopatus Concilii Calcedonēſis propter diſſenſionem Chriſtianorum? Nonnè omnes cum tot animabus ſubditorum perditi fuere? Nonnè in 160.annis triginta ſeptem quaſi Regna perdita ſunt & duo imperia propter diſſenſionem? Perdidimus Aſiam, Terram Sanctam pedibus ſaluatoris noſtri calcatam, perdidimus Africā, Aegyptum, Trhaciam, & alias infinitas prouincias, ommitto diſſenſiones credentium per totam Germaniam, Angliā, Franciam atq; Flandriam & hoc propter diuiſionem principum Chriſtianorum? Nonnè legimus in hiſtoriis quod Principes Chriſtiani quando diuiſi fuerunt oppugnantes inter ſe propter inuidiā, ſuperbiam, inimicitias, & odia habiti fuerunt Tyranni potius, quam Principes, & ſi obliti religionis Chriſtianæ permiſerunt myſteria diuina illudi, & ab hæreticis atque infidelibus dei eccleſiā deuaſtari, permittente an potius uolente deo miſerè vitam cum morte commutarunt. Quid noſtris temporibus quæſo? Nonnè multi principes ſuis in locis, & iuriſdictionibus hæreticos, & eccleſiæ Romanæ perturbatores, atq; Religionis Chriſti contrarios, & deriſores, coactè dicunt, uel ratione ſtatus habitare permittunt, confederationes faciunt, & cum ſint ex determinatione omnium conciliorum excommunicati, & ab eccleſia ſeparati, cum ipſis omnia negocia ineunt, hoc.n.eſt quoniam inter ſe Chriſtiani contrarii, diuiſi, & eccleſiæ inobedientes ſunt, quod ſi uniti, Religioſi, & obedientes eſſent iuriſdictionem ſuam liberè poſſiderent cum Magnitudine libertatis ſuæ, & amplitudine Religionis, ideò non debemus mirari de tot & tātis

aduer-

aduerſitatibus, quoniam uitia tam grandia facta ſunt quod uix locum apud dei miſericordiam relinquerunt. Quis poſtea non uidet multorum principum auaritiā? qui quotidie ſtudent gabellas, Angarias, & nouas impoſitiones ponere? Ad quid tot & tanta grauamina. propter diſenſionem populorum? minime. propter utilitatem communem? minime. propter defenſionem eccleſię & unionem Chriſtianorum contra infideles & hęreticos? minime. Ad quid ergo? propter bonum particulare, & propriam utilitatem, & tantum Religio, unio Chriſtianorum, communis utilitas, & populorum defenſio ipſis chara uidentur & ſunt, quantum auaritiæ commoditas ſibi delectatur. Quid plura? nōnè libido undecunque & omnimodo requiſita publice manifeſtatur? quanta poſtea ambitio & pompa? quanta ſuperbia, & pigritia? quanta ignorantia, non rerum ſuarum tantum, ſed etiā Chriſtianæ doctrinæ? quam lenta & pauca religio, & potius ficta quàm uera? quot mores denique corrupti & maledicti inter homines nomine, & nòn re chriſtianos conſpiciuntur? Peccant.n. homines ita apertè & publicè, quod quaſi ex iſtis rebus turpibus, & inhoneſtis maximam gloriam atq; laudē cōſequi ſperant. Veniet credatis (& deus nolit) Veniet dico Turca, Turca, Turca ille, quem ſcitis nominis Chriſtiani inimicus ſolito furioſior ad imperium Monarchicū, Iam iam ab omnibus partibus Italiam obſedit, iam iam apud ianuam eſt, & uos Principes Chriſtianos tributarios, ac quaſi ſubditos ſibi eſſe compulit. O principum Chriſtianorum, & nō religionis Chriſtianæ dedecus magnum, ò Chriſtianorum impietas, ò denique principum perfidia, uultis propter diſſenſiones ueſtras, & propter perſeuerantiam peccatorum ueſtrorum diabolo obedire potius, & Tyrannis infidelibus colla ſubmittere, quàm recognoſcentes errores ueſtros cum pœnitentia unionem requirere. Sciatis quod ſi pigri, & pleni ſomno eritis ſeguentes propriam uoluptatem, & communē utilitatem, mortem communem expectabitis. Nonnè uidemus qđ ipſe Turca noſtræ fidei hoſtis ſæuiſſimus à deo pro-

pter peccata noſtra permiſſus quotidie opugnat,deuaſtat, atque ſubiugat nobis Ciuitates,caſtella,Prouincias atque Regna cum omni ſpiritu Religionis Chriſtianę,& infamia principum? Nonnè conſpicimus quod præter filiorum & uxorum captiuitatem, & præter vitæ & facultatis perditam,propter diſſenſionem & propiã utilitatem, Chriſti religio obliuioni traditur? & ni deus omnipotens reſpiciat,Regni Chriſtiani deſolatio propè eſt?Nonnè uidimus è contrario quod unio exemplar diuinæ potentiæ,ſemper omnia cõgregauit, omnia ſperauit,& omnia obtinuit? Nonnè ſemper Chriſtiani vnanimiter cum aduerſariis fidei Chriſtianæ dimicantes uictoriam adepti ſunt, & gloriam ſempiternam aſſequuti? Nonnè elapſis diebus Concordia,& unio ſummi Pontificis, Regis Hiſpaniæ, & Venetorum deſtruxit potentisſimam claſſem Turcicam quæ longe Chriſtianam ſuperabat, tantã habebat nauigiorum multitudinem, tot tãtaque bellica tormenta,tantarum rerum apparatum,& tantum lignorum numerum ut quemuis Principem Chriſtianorum metu facili conſternebat, tamen prædicti unione conſœderati uoluntate diuina intrepidi aduerſus tãtam potentiam perſtiterunt, & tota claſſe uicta,& ſuperata uictoriam inauditam felicisſimè potiti ſunt,& ſi uictoriam incœptam proſequebantur imperium Conſtantinopolitanum oppugnabant,quid poſtea ſi omnes principes Chriſtiani & non tres tantum eſſent concordes,& unione beneuolẽtiæ ligati? Quare ergo pacta propter odia inteſtina diſrupiſſe,& concordium uiolaſſe? quare unumquemque pati uideri potius alterius deſtructionem quàm contra infideles arma ſubire, & cõmunem inimicum non conculcare? & quare denique non omnes uno animo, una uoluntate,& una fide ſanctæ eccleſiæ obedire, & ſummi Pontificis mandata exequi? Agite Chriſtiani orbis præſides,& Tu Imperator qui aſſertor, tutor, & propugnator eſſe debes fidei catholicæ cui Rex regum & dominus dominantium & ſanctisſimi Pontifices Chriſtiani totius Imperii habens commiſerunt, cognoſcite potentiam ueſtram, uigilate

ſuper

ſuper populo ueſtro confœderationes quęrite, obedite Pontifici Chriſti Vicario, & fidem atque Religionem Tueamini, errores prohibete, & ſchyſmata tollite; alioquin Pontifex pater omnium neceſsitate coactus ut bene poſsit paſcere oues ſuas, & Ieſu Chriſti præceptis obedire reaſſumet gladium temporalem de iure diuino ſibi conceſſum, & Vos ante tremendum & iuſtum iudicem exactam commiſſæ poteſtatis dabitis rationem. Et hæc ſufficiant pro cauſa finali pontificię poteſtatis, & pro completa dilucidatione omnium ſuarum partium cum omnibus approbationibus & reſolutionibus omnium difficultatum.

Lucidarium poteſtatis Papalis.

De Mirabili Fructu definitionis iam explicatæ omnes aduerſariorum errores Manifeſtante.

Liber Septimus.

HVCVSQVE oſtendimus dari primò unam Poteſtatem, poſtea ipſam definiuimus in uniuerſali declarantes quot modis intelligatur Auctoritas, & quæ ſit auctoritas ordinis, per quæ iuriſdictionis, hoc eſt, regiminis per ſe uniuerſalis, & quomodo Apoſtoli illam habuerunt tantum & non iſtam, & quomodo fuerunt pares in illa, diſpares in iſta, quia hanc tantum Petrus habuit à Chriſto modo iam dicto & ſucceſſores poſt Petrum, & quantum iſta auctoritas extenditur, & quomodo omnes debent ipſam recognoſcere & obedire, & in quales, & quantos errores incidunt inobedientes Eccleſiæ Romanæ, & quomodo per ſuam auctoritatem abſolutam & uniuerſalem omnes aliæ eccleſiæ ſibi ſubiectæ ſunt, & quã prȩeminentiam, & prælationem habeant aliæ diuerſam ab iſta, & quomodo ab hac aliæ habeant iuriſdictionem & dependent ſicut à capite membra. Præterea uidimus & probauimus

mus quomodo de iure diuino ſummo Pontifici conceſſa eſt Poteſtas ſpiritualis & temporalis ſuo per ſe modo, ſed in ſpiritualibus primò & per ſe, in temporalibus ſecundariò, & quomodo Cæſar gladium temporalem habet ſed quando ipſo male abutitur poteſt reaſſumere illum, & excommunicare, corrigere, & deponere Reges, Principes, & Imperatores, & alios nouos creare, ungere, & coronare, & manifeſtauimus etiam quomodo talem ſupremam poteſtatem, & iuriſdictionem non principes, non Reges, non Imperatores, non eccleſia, neque etiam Angelus eam conceſſit, neque concedere poteſt ſed ſolus Chriſtus, & non omnibus, ſed tantum Petro, & de excellentia & dignitate Petri. Præterea declarauimus de ſucceſsione iuriſdictionis Petri in Romanos Pontifices, & de dignitate & reuerentia, ergo Romanos Pontifices ab antiquis Patribus ſemper habita, & de ueneratione Romanæ Ciuitatis propter martyria beatorum Petri & Pauli, & propter reſidētiam Vicarii Chriſti ſucceſſoris Petri. Deinde probauimus quomodo Pontifex cum ſit ut declarauimus abſolutus princeps ſit ſupra Cōcilium & ſupra omnes, & quomodo non poteſt ſimpliciter & abſolutè iudicari, neque deponi à Conciliis, neque ab aliqua humana potentia niſi propter hæreſim, ſiue propter illegitimam electionem modo declarato. Vltimò concluſimus finem definitionis. ſ. ad quem data ſit talis iuriſdictio ſummo Pontifici, & oſtendimus quod finis eſt paſcere oues, ideò quomodo debeant à Pontifice paſci, & oues obedire manifeſtum fecimus, ita quod intellectis his omnibus propoſito noſtro ſatisfecimus, quoniam expleta eſt iam definitio, declaratæ omnes eius partes atque particulę, inuentæ omnes cauſæ, & denique ſolidiſsimis fundamentis explicata, rationibus roborata, & auctoritatibus comprobata. Quid amplius ergo dicendum eſt, unum meo quidem iudicio magnum & conſideratione dignum, quomodo multi illuſtri & celeberrimi ſcriptores defatigati fuere, ut manifeſtarent errores eorum qui Papæ iuriſdictionem auferebant

unde

unde tot ſententiis, tot ſermonibus, tot diſtinctionibus atque tot & tantis auctoritatibus maxima prolixitate ſcripſerunt profitentes ad omne uerbum aduerſariorum reſpondere, & tamen paucis uerbis, atque diſtinctionibus omnia ſua dicta corruunt, & non ſolum quæ ab ipſis uſque ad hunc diẽ ſcripta ſunt, ſed quæ poſſunt uſque ad mille, & infinitos annos ſcribi. Ideo cum intentio ſua fuerit ſancta, & catholica, laudo dicta ſua, & excludo ſolum modum ſcribendi, nam ſi fuiſſent in modo ſcribendi inſtructi, non tot digladiationibus hanc ueritatem tractaſſent tranſcendentes plerunq; de genere in genus, ſed cum breuitate quanto requirit ſubiecta materia. Præterea ſi in modo ſcribendi inſtructi fuiſſet, unus pro omnibus ſuffeciſſet, quoniam qui ſcit ordinem, & methodum ſcribendi cum de aliqua re ſermonem inſtituit nõ pro ſe, & pro illo tempore, & ſed pro omnibus, & pro omni tempore ſcribit, cum omnis ſcientia, atq; doctrina ordinata ſit. Scriptor.n.ſcientificus ex bene inuentis, & doctrinis aliorum, ordine doctrinæ, atque methodo, propria quadam arte quod multis uerbis, & infinita loquacitate ſcriptũ fuerit, & maxima confuſione, replicationibus innumeris, & ſententiis malè diſpoſitis, rectè compingit, ita quod nihil in ſua ſcientia diminutum, uel ſuperfluum reperiri poteſt. Nos igitur talem ordinem ſcientificum ſequentes relinquimus ornatum & politum ſermonem, põpam uerborum, floſculos dicendi, ſententiarum exornationes, ac phaleras uocabulorum, & pictas grãmaticorum eloquutiones, tantum ueritatem proſequuti ſumus, Poteſtatem Papæ neque reſtringentes neque Ampliantes, ſed eſſe ſuum, quid, qualis, & quanta ſit, iuxta meritum materiæ per dicta ſanctorum, & per rationes quibus ſacra ſcriptura non contradicit explicauimus, ſemper oculo intentionis ſimplici & recto diſcurrentes. Per datam igitur diffinitionem, per explicationem eius remota eſt omnis cauſa cauillandi apud impios, malignos, lutheranos, & hæreticos, quoniam ſi unam primam Poteſtatem dari & ſemper fuiſſe demonſtrauimus, in ipſaque inclu

di au-

di auctoritatem abſolutam uniuerſalem de omnibus rebus prout expoſuimus,& hanc eſſe à Chriſto datam Petro,& ſucceſſoribus,ut paſceret gregẽ dominicum & oues ſuas, quid non poterit Papa? Quare ergo impii debent clamare de indulgentiis,de liberatione animarum à purgatorio, de diſpẽſationibus,de cerimoniis,& de deuotionibus? Quare de iuriſdictione Temporali, Imperatoria & Regia modo ſibi debito? Quare de eccleſiæ patrimonio & diuitiis,atq; aliis infinitis operationibus Papę? quæ fiunt quotidie & quæ per antea factæ ſunt, & in futurum fiendæ? Iſti namq; tamquam canes irrationabiliter latrantes,& tanquam Vulpes fallaces inſidiis intentę,donum fidei non habentes, alios in ſuã fraudem trahunt,& à fide ſeducunt. Si omnia quodãmodo poteſt per talem ac tantam authoritatem ergo operationes quę ab illa fiunt quotidie, futuræ,& præteritæ fuerunt,ſunt,& erunt bonæ,& ſubiectæ ſuæ poteſtati, ergo qui contra ipſum ſcribit tanquam ignarus eſt reputandus. Legant fures q peruerſa prędicant,& de Eccleſia Dei furantur primò ſuam auctoritatem paucis uerbis declaratam,& diſcat poſtea Pirata turbans aquas eccleſiæ,& de puris fontib. ſordidos riuos faciens, tacere & erubeſcere,quoniam talis diffinitio poteſtatis Papalis eſt fundamentum inexpugnabile contra præcurſores Chriſti,ſcandalizatores proximorum, Sathanæ mediatores,odiorum inuentores, Dei perſequutores,Nugarũ inuentores,& mendaciorum fabulatores. Hæc diffinitio deſtruit argumẽta eorũ,qui tanquam equi in prælio parati nõ propria ratione,ſed impetu quodam, & demoniaco ſpiritu acti eccleſiam impugnant. Si ergo talis diffinitio omni auctoritate,omni ratione,& omnibus legibus cõmunita nõ poteſt deſtrui ergo uera, ſi uera ergo gladius acutus ad ſcindendas omnes aduerſariorum cauillationes,& illorum qui magis temeritatis cauſa quàm rationis profitentur uulgum decipere,& ignaros ſubuertere,ergo diſcant ſcribere, & loqui fraudatores,diſcipuli diaboli,ſoboles eius,& inimici crucis Chriſti qui ſemper ut reprobi, & deò contrarii ſunt contu-

melioſi, garruli ut hirundines, uerboſi inſtar cicadæ, deriſores, ſuſurrones, odibiles, illuſores, inimici noſtri domeſtici proditores, & denique ſunt Iudæ apoſtate, & hæretici. Hæc diffinitio ſola conuincit zizanianorum diabolicorum ſeminatores, uirtutem dei abnegātes, ſceleratos, nequam & peruerſos miniſtros Sathanæ. Hæc ſola reſpondet ſuis argumentis, hæc ſola ſoluit ſuas difficultates, hæc ſola declarat ueritatem rei per ſuas ueras cauſas, & hęc ſola denique eſt Epilogus omnium ſcriptorum in tali materia, nec opus eſt vt poſthac aliquis de hac re uerba faciat, cum neque addi, neq; minui aliquid posſit, quoniam ſi adderemus eſſet idem alio modo explicare, vel ornatu uerborū, uel additione rationū & auctoritatum, uel intellectione ſententiarum. Si minueremus quod clarum eſt in obſcuritatem īcideret, & egeret poſtea expoſitione, quod uitium eſt ſcriptoris. Quid plura? Per hanc diffinitionem nō ſolum ea quæ diximus habemus, ſed etiam per ipſam habemus ſolutiones omnium difficultatū quæ ab aduerſariis contra eccleſiam mouentur. Sit ne difficultas uel de Sacramentis, vel de Articulis fidei, uel de aliis rebus quæ creduntur ab eccleſia, & quod ſit uerum oſtendo, quoniam quæ à Chriſtianis creduntur determinata fuerūt à ſacris Conciliis quæ concilia confirmata fuerunt poſtea à Papa tanquam à Principe conciliorum, & ab eo qui ſpecialisſima ſancti Spiritus inſpiratione, pōt delere, minuere, addere, & ſub ſingularisſima eiuſdem ſancti ſpiritus asſiſtentia à Chriſto promiſſa, atq; ſemper data quicquid ſibi uidetur interpretari, exponere & alia. Si ergo iſti tanquam Ranę exeuntes de Aquis baptiſmi ad peruertendum articulos fidei, & tanquam ſyrenes mortifero carmine animas ad profundum trahentes contra eccleſiam ſcribunt, malè ſcribunt, quoniam ſcribunt contra determinationes tot patrum ſanctisſimorum, & denique contra Papam, quod facere minimè poſſunt per ea quæ diximus, cum Papa ſit ſupra conciliū, & posſit omnia ut ſupra diximus facere. Vnde abſq; alia ratione reddenda, iſti fideliū mentes tenebrantes, & animarum

rum

rum ſanguinem bibentes,debent excommunicari, & perſequi,quoniam Papa non tenetur reddere rationem per poteſtatē ſupremam quam habet & abſolutam de his rebus quæ in ſacris conciliis confirmauit,ſicut nec de factis ſuis, quoniam ad nutum ſancti ſpiritus & ſuum facere poteſt, ideo ſi confirmauit decretum concilii quod confeſsio ſit de iure diuino,& non poſitiuo,ſi alius pertinax apparentibus auctoritatibus,& rationibus uelit infringere hoc decretum, non eſt ei reſpondēdū,quoniam anathema eſt,hoc.n.eſt eripere auctoritatem Papæ,& ſpernere deliberationem ſanctorum patrum. Et ſi concilia uerbigratia Auctoritate Papali determinarent Gulam non eſſe peccatum, tenemur hoc credere, & hoc eſſe uerum per auctoritatem Papæ abſolutam, & per illud decretum à concilio confirmatum à Papa. Nonnè dicit Auguſtinus quod ſi eccleſia non diceret crede Euangelio, quod non crederet ergo demonſtrat quod tenemur credere in omni re eccleſiæ,cuius caput eſt Papa. Quid ad te impie, & obſtinatæ mentis quæſo pertinet credere potius confeſſionem eſſe de iure poſitiuo,quàm de iure diuino? ſi concilia declarant hanc eſſe de iure diuino,& quod Papa hoc confirmat, quare non debes credere eſſe de iure diuino,cum Patres illi conuocati ſint in nomine ſpiritus ſancti? & Papa ſit Vicarius Ieſu Chriſti habens ſupremam & omnimodā poteſtatem confirmandi dicta illorum patrum? & quare uelle potius credere ea quę ſunt ad deſtructionem,quàm ea quæ sūt ad ædificationem fidei? Per hanc igitur diffinitionem oſtendimus conuocationem conciliorum potius tollendam eſſe quàm admittendam, tollendam dico in rebus iam deciſis, & à pontificibus iam confirmatis non ſemel, ſed infinities, quoniam ſi determinata ſunt à ſanctiſsimis Patribus,& confirmata ab eo qui habet auctoritatem contra quam nemo aliquid dicere poteſt,ad quid ergo conuocare concilium pro confirmandis illis rebus iam habitis pro principiis,& fundamentis fidei inexpugnabilibus? Bene debet Papa conuocare Concilium pro tractandis illis rebus quæ de nouo emer-

R 2 gunt,

gunt,uel pro vitiis Præsbyterorum, uel Laycorum de nouo emerſis, caſtigandis,vel corrigendis,vel pro alia cauſa urgẽ ti,& neceſſaria,& nõ amplius tractata ad beneficium totius eccleſiæ & gregis Dominici, tanquam Caput principale, & optimus paſtor qui uult euitare oues ſuas ab oĩbus rebus no ciuis ut eas impinguare poſſit gratia ſpiritus ſancti. Perſequantur igitur hæretici clamantes non ex corde concilium, ſed ex malignitate ſchiſma,ſchiſma, acerbi, pleni falſiloqo, arrogantes, ſuperbi,diſſoni,immenſurati, nigriformes, tumidi,& timidi. Iſti.n.ſunt callidi ad nocendum,mordẽtes uſ que ad animæ perditionem,ſunt tanquam ſpinoſi hæricii in quibus uitiorum greges habitant. Sunt tanquã locuſtæ de fu mo putei exeũtes in terram quibus data eſt poteſtas tyranni ca. Sunt tanquam Porci, in cœno uitiorum uolutantes, & deniq; ſunt tanquam ſerpentes qui blandiuntur facie, & oc cultè mittunt uenenum. Dicant quicquid uelint Arrii, Sabellii, Macedonii,Iulianus Henricus, & Federicus,clament tanquã gentes inſuetæ pacis tot capita in Germania, in Frã cia,in Anglia atque in Flandria,ſtrepitẽt tot ſenſuales in Ita lia, Tumultuetur plebs impetuoſa & multorum capitum ma la beſtia,& deniq; in toto mundo tot hypocritæ conquaſsẽt domum dei quantum uelint,quoniã aduerſus eã non præua lebunt. Inania ſunt diuerſariorum tela,uacuo uerborum ſonitu crepitantia. Scimus.n.eſſe inquietos,indomitos,gentẽ tumultui aſſiduam, immitem & intractabilem. Scimus qđ inanes ſunt cauilli, inutiles argumentationes, & temerarii paralogiſmi. Exeunt.n. à uero & uiuo inferno,& excitantur à diabolo ad Ruinam eccleſię, fidei,& domus dei. Impugnatur quandoq; Chriſti ſponſa, ſed uinci non poteſt,tempeſta tes ſuſcipit, ſed non demergitur,iacula mittuntur in eã, ſed non perforatur,machinamenta pręparantur,ſed Turris daui dica non eliditur. Iam ab omnibus cognoſcuntur aduerſarií tanquam prædones uiolenti,blaſphematores, Pſeudocto res,ſimiles Magis Pharaonis,& mente corrupti,& tenentur tanquam reprobi circa fidem,& tanquam arbores autumna

les infructiferæ, terra maladictæ. Hæreticus. n. eſt tanquam Protheus qui mille figuris ſe oſtẽdit, in omnem ſe uertit formam, in omnem uelut camaleon ſe transmutat colorem, eſt enim perſona de turba quæ ſemper turbulẽta eſt, inſana, nec conſilium nec rationem tenens. Quid iſtis immoror? nõ mihi diues Ciceronis lingua, nec feruens Demoſthenis Oratio ſufficeret ut poſſem implere ſermonem ſi uelim hæreticorum fraudes prodere. Sunt uerè uitandi ut fallaces medici, ut leproſi contagioſi, & quaſi cadauer putridum. Satis cõtra iſtos ſcripſerunt Athanaſius Alexandrinus, Auguſtinus, Alanus, Baſilius, Buconius, Carolus Magnus Imperator, Celeſtinus epiſcopus Brixienſis, Celſus, Cyrillus Alexãdrinus, Cyprianus, Clemens Alexãdrinus, epiſcopus Salaminæ Epiphanius, Gennadius, Guido Carmelita, Hilarius Pictauienſis, Ireneus epiſcopus & martyr, Iulianus confeſſor, Iacobus cognomento ſapiens, Ioannes Chriſoſtomus, Ioannes Damaſcenus, Iuſtinus philoſophus de Neapoli, Philaſter Brixianus epiſcopus, Samuel Tertulianus, Africanus, Victorinus Pictauienſis, Vincentius gente gallus Cerinenſis. Quot quæ ſo poſtea noſtris temporibus? Campegius, Ludouicus Orianus Brixiẽſis, Ioan. maria Verratus Ferrariẽſis, Tretius, Ruffenſis, Andreas Baurius, Franciſcus Torrenſis, Durandus, Herueus, Petrus de palude, Auguſtinus de Ancona, Ioannes Echius, Alexander de ſancto Elipidio, Vincentius Cegauld iuris licentianti. Ioannes Gerſon. Reginaldus Polus, Ioannes à Turrecremate, Cyprianus Beneti fratris prædicatorũ, Franciſcus Poggius Florentinus, Paulus Angelus, & infiniti alii quos omnes uidi, legi, & ſtudui, & in hoc meo tractatu continentur, & qui poſt hac ſcribent continebuntur, nõ tanquam ſub Epilogo, ſed ſub plana ſermonum ſerie ordine diſpoſita, & methodo declarata. Prætereà conuicti fuerunt in concilio Niceno ubi erant 318. patres ſanctiſſimi, Aderant Syri, Cilices, Phœnices, Arabes, Paleſtini, Aegyptii, Thebei, Lybies, Meſopotamii, Perſæ, Pontici, Scythæ, Aſiani, Phryges, Thraces, Macedones Epirotæ ſub Conſtantino Au

guſto,ſi ergo omnes iſti,& alia infinita cōcilia ſpiritu ſancto conuocata approbauerunt omnia quæ diximus, quid poterunt dicere aduerſarii,& quid in futurum dicent? Vos impii qui vultis doctrinæ Pauli,Euangeliis,conciliis,& ſummæ poteſtati Romanæ contrariari, ubi nā ſanctitas vitę veſtræ? Vbi nam miracula? Moyſes uitę ſanctitate uirgam in colubrum, aquas in ſanguinem uertit, Ranas, muſcas, pediculos, locuſtas,bruchos, ignem cum grādine,viſicas & tabes Aegyptiis immiſit,primogenitum omne ab homine uſq; ad pecus interemit, ſuosq; deducens mare aperuit,fontem de petra, coturnices de cœlo produxit, aquas amaras dulcorauit,fulgura,& nubes per diem,columnam ignis ꝑ noctem ſuis præmiſit, uocem dei uiuentis ad populum è cœlis deuocauit, arrogantes igne, murmurantes lepra percusſit, malè mœrētes ſubita ſtrage,alios terræ hyatu abſorptos affecit,populum cœleſti cibo pauit,ſerpentes placauit, uenenatos curauit,numeroſam turbam ab infirmitate,ueſtes eorum à corroſione cōſeruauit,& hoſtiū deniq; uictricē reddidit. Similiter Ioſue uitæ ſanctitate ſolē ſtare præcepit,ſic Helia ignem in aduerſarios è cœlo deuocauit,& puerum mortuum vitæ reſtituit. Sic Daniel Leonū ora ꝑſtrinxit,& pueri tres in camino æſtuantes incendii carmina luſerunt,Petrus & Paulus ſimiliter, & alii Apoſtoli quia ſpiritu ſancto erant impleti fecerunt miracula,& vos ex mente, malignitate, & ignorantia,uerè ſenſuales vultis interpretari ſcripturas, doctrinā Chriſti gloſare,& contrariare Conciliis ſacris atq; ſummis Pontificibus? Nunquid igitur eſt aliquis ueſtrum ſanctior, cōtinentior, & fortior Athanaſio,Baſilio,Ambroſio,Hieronymo,& Auguſtino & reliquis uiris ſapientia & religione præſtantibus? qui non ſolum ſeſe à communi uita ſegregarunt ut toto animo atq; mente in cœlo uerſarentur,ſed poſteris ea monumenta reliquerunt,in quibus illorum diuinam mentem ſpirare uidemus? Minime; quid igitur tot exclamationes? Cur ſequi unum Lutherum? qui fuit homo certè neq; continens,neq; moderatus,ſed audax,furioſus,nefarius,turbulētus,& unus

omnium

omniũ maximè popularis,qui omni infamia plenus uult cõ tradicere Anacleto,& Leoni Pontificibus ſanctisſimis, qui ab oĩbus humiles,habitu integerrimi, uita ſanctisſimi,& magni ac celeberrimi ſacræ ſcripturæ interpretes, & denique Religione,innocentia, pietate,humanitate,gratia,doctrina eccleſiaſtica præcipue inſignes habiti fuerunt, cuius animæ iam cum Chriſto, & euangeliſtis cum choro beatorum ſpirituum in cœlis regnant. Cur alios confidentes elatos & nullis uirtutibus ornatos? cur deniq; malignantium uerbis Põtificiam poteſtatẽ tollere? quæ Chriſtus inſtituit? quæ Apoſtoli tradiderunt? & quæ ſancta eccleſia comprobauit? Hoc eſt diſſonum, demoniacum,& temerarium tantorum patrũ determinatione præponere ſenſum ſuum,minimè.n.mutanda ſunt quæ longam interpretationem habuerunt, nonnè ſapiens nos docet dicens. Ne innitaris prudentiæ tuæ? Nemo certè niſi ferreus,& trunco ſtupidior tot patres negabit. loqui igitur contra poteſtatem Papæ eſt legem à Chriſto datam peruertere, pulcherrimum ordinem hierarchicum eccleſiæ deſtruere,omnia confuſioni, temeritati, & erroribus exponere. Sanctius itaq; eſt nos obſeruare ea quæ Patres noſtri à Mille quingẽtis fermè annis obſeruauere, & malignos dimittere. Iniurias, contumelias, ſcommata, & morſus ſatyricos conuertant in homines ſibi ſimiles, & non in Sanctos dei; uerba. n. ſanctorum patrum & ſcripturæ ſunt rectè intelligenda,& non ſiniſtrè & iniquè torquenda. Humana ſua temeritas atq; arrogans dicacitas apud nos nihil potuerunt, quoniam ſcimus quod omnes ſchiſmatici, aut ob hæreſim, aut ambitionem quæſierunt occaſionem recedendi ab obedientia ſedis Apoſtolicæ. Iam igitur taceat & erubeſcat Impius hæreticus,& fidei perſequutor,& relictis erroribus ſuis attendat ad facienda miracula,ad bonos mores & ad ſanctitatem uitæ, ita quod ſaltem uita ſua ſit ſine macula,& poſtea uerbis eius credemus, ſed tunc poſtea non erit amplius contrarius,immo ſpiritu ſancto ductus proſpiciens errores ſuos flebili uoce,gemitu,atq; lachrimis cum Profeta cantabit.

Miſerere

Miſerere mei domine ſecundum magnā miſericordiā tuā, Miſerere mei domine deus Meus. Sathan domeſticus impiorum, & animę meæ auertit intellectum meum. Domine quæ credenda erant recuſaui, & ad errores conuerſus ſum. Errores meos ſic amaui, ut ueritatem eius contrariam non audiui. Domine quoniam inhabilis fuit intellectus meus, lumen diuinæ influentiæ ingredi prohibitum fuit, & quoniam affirmatio mea inordinata fuit, fidei ueritatem derelinqui. Per ſuperbiam.n. meo ingenio omnia poſſe apprehēdere, & intelligere credidi, cum tamen credere ſit ianua ad intelligere. Vano ſermonum ſtrepitu quæſiui quæ inuenire non potui, & fuerunt domine quęſtiones meæ fatuæ. Putaui humanis ſenſibus te Deum comprehendi poſſe cum ſis ſupra omne intelligibile lux inacceſsibilis. Separatus ſum à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Figmēta mea domine contra te erexi, & illicita curioſitate cœli altitudinem penetrare uolui, & in fine confuſus fui. Fateor neminem abſque lumine tui ſpiritus ueritatem cognoſcere poſſe. Humana virtute dogmata diuina cōſequi uolui, ſed hominis mentem excedunt myſteria tua. Potius negligentibus præceptoribus obedire uolui, quam Euangelii prædicationem audire. Vana & falſa me ſcribere, & prædicare permiſiſti, ut ueritas melius cognoſceretur. Nonnè ingratus filius fui, tu me nutriſti, & honoraſti, & ego ſpreui te, & mala uolūtate contra te inſurrexi? Eccleſiam tuam negaui, & non tanquam matrem, ſed famulam eā aſpernatus ſum. Tibi multi iugas parui tecnas, nouaq; ac varia in dies ſtruxi diſcipula. Paſtores tuos uariis calumniis opprimere cogitaui, & potentiam tuā falſis obloquiis increpaui. Contra Apoſtolorum Principem Petrum inſidias paraui, & potentiam à filio tuo ſibi conceſſam abnegaui. Confiteor maledicentiam meam, & oſtendo tibi ſcelerum meorum iniquitatem. Labia mea iniqua fuerunt, & lingua mea doloſa. Sed in te domine confido quoniam maior eſt miſericordia tua quàm nequitia mea. Cor contritum & humiliatum numquam deſpexiſti, ideò reſpice in

ce in humilitatem Orationis meæ,& uocabor ſeruus tuus. Orabo poſthac te deum omnipotentem, ut hæreticales ſerpentes crepeſcant, Dracones fugiant, viperæ ſileant, Ranę inquietę torpeſcant, ſcorpiones extinguantur, Reguli vincantur, Squalangi nihil operentur, & omnia noxia, & fidei aduerſa funditus areſcant, ut omni intoxico religato ſyncera fide tibi ſoli Deo, & Chriſto filio tuo, atq; eius Vicario ſanctiſſimo Papę Romano, ſeruire poſſim, & in ęternum miſericordiam tuam cantare, & in ore meo populo fideli ueritatem annuntiare, ſcilicet.

Poteſtatem Papalem eſſe Auctoritatem abſolutam uniuerſalem in ſpiritualibus modo ſæpius expoſito à Chriſto datam Petro ut paſceret oues ſuas.

FINIS.

VENETIIS ex Typographia Georgii Angelerii,
Apud Simonem Galignanum.
M. D. LXXV.

ERRORES CORRIGENDI.

Pag. 1. a. lin. 19. procedimus, procedemus. 2. a. 1. nobilior, mobilior. 20. tuis? tui? 21. propinquorum, propinquiorem. 4. a. 10. anans, anas. b. 4. poteſtate, poteſtati. 33. ſuit, fuit. 5. a. 19. militaris, militans. ult. his, lis. 7. b. 23 charitate, claritate. 10. a. 25. illi, ille. 11. a. 9. a cui, cui. 15. a. 8. quum, quam. 30. ille, illi 20. a. 28. tegantur, tegamur. 21. a. 16. pontificis, pontifices. 34. obediebat, obediebant. 22. a. 27. Antiſtis, Antiſtitis. 23. a. 18. Militantes, militantis. 24. a. 3. legatus, legatos. 25. a. 2. iuriſdictionis, iuriſdictiones. 23. Pater, Paſtor. 29. a. 5. ut, ac. 25. Ducis, Duces. 31. b. 33. uere, ueri. 33. b. 22. huic, hanc. 27. mens, meus. 34. a. 11. quod poteſtatem, quoad. 36. a. 2. quiſque, quique. 37. b. 29 hoc, hac. 38. a. 11. ſtata, data. 41. a 20. quoad, quod. 42. b. 35. ſupere, ſapere. b. 35. uiuis, niui. 44. a. 19. dicunt, dicauit. 45. b. 1. Regi, Rege. 46. a 6. iuſtum, iuſſu. b. 1. eſt, ut. 47. b. 14. humeres, humeros. 31. tui. ſui. 51. a. 9. omnis, omnes. 27. diſpore. diſponere. 52 a 3. pontifice, pontifici, 21. omnis, omnes. 35. amplitudini, amplitudine 54. b. 18. videmus, uideamus. 56. b. 3. ſacramenta, ſacroſancta 59. a. 7. eccubare, accubare. 8. obiectum, abiectum. 62 b. 11. facili, facile. 63. b. 5. per, &

LETTERA ESORTATORIA DI ANTONIO POLO VENETIANO

mandata con il Lucidario Papale à tutti li Principi, e Signori Chriſtiani che ſono fuor della Santa Chieſa Catolica Romana.

HAVENDO dilettisſimi in Chriſto ſcrit to il Lucidario Papale che ui mãdo à donare, non per compiacere à gli huomini del mondo, non per adulare, non per auaritia, non per gloria, & non al fine per aſpettar qualche dignità eccleſiaſtica benche ſia licito deſiderare il bene, & li gouerni del mondo per la ſalute di populi, ma principalmente per manifeſtare la volontà di Chriſto, per unir li Principi Chriſtiani, per eſtirpar l'hereſie, per eſaltation de la ſanta Chieſa, & per ridure all'ultimo all'obedienza del Sommo Pontefice Romano quelli che da lui ignorantemente, ò malitioſamente s'hanno ribellati per accoſtarſi alli Antechriſti, & falſi miniſtri de la Chieſa. Però charitatiuamente lo accettareti, & lo legereti, percioche io non ui ſcriuo mie fantaſie, & imaginationi, ma parlo ſempre per bocca di Profeti, di Chriſto, di Concilij, & di Santi Dottori, & per il lume che Iddio mi ha dato ſenza conſuſione de diſtintioni, ſenza meſſedamento de diuerſi parlari, ſenza quantità de queſtioni, & ſenza l'infinità de gli argomenti ſtando alla radice de la coſa, all'eſenza, & alle cauſe principali, & intrinſece dechiaro la ſemplice verità, & ſpero nella bontà di Chriſto che da la ſua lettura imparareti à riſormare li ſenſi uoſtri, & la uita voſtra per conoſcere quella uolontà buona de Dio che per le predicationi di falſi, e triſti Hippocriti de la Chieſa ha-

